Io. Garmers 1670. 3. Nov.
Ægidius Theodorus Gutbier 1671. 14. Sept.
Ioachimus Slaphius.
Henricus Vaget.
Io. tho Westen.
Georg Lutkens.
Io. Henr. Decker.
Albert Kirchhof.
Laurent. Wordenhof.
Laurentius Petersen.
Io. Christ. Grotschilling.

Hen-

Henricus Dietericus Wiese.
Carolus Ioh. Vogel.
Nicolaus Lutken.
Petrus Starck.
Caspar von Lengerke.
Nicolaus Stender.
Henricus Neumann.
Lucas Stemann.
Hartvvig Ios. Moller.
Io. Wagener.
Iacob Middelburg.
Christ. Iacob Reinstorp.
Io. Henricus Wenzhard.
Io. Hermann Tiefbrunn.
Barthold Willers, D.
Christ. Ioh. Horbius, D.
Franciscus Stubbe.
Theod. Frider. Volcmar.
Iacob Langermann.

VICARII IN B. CATHARINÆ.

Ericus Wordenhof, J. U. L. 1629. 28. Maj.
Frid. Walther 1630. 13. Mart.
Gerhard Gravius, SS. Theol. D. & *Lector Secundarius* 1635. 18. Iul. † 9. Mart. 1675.
Albertus Hesterberg 1644. 10. Oct.
Hermann Uphof 1649. 29. Oct.
Marcus Buck, J. U. L. & Senator 1654. 20. April.
Io. Usseler, J. U. L. 1656. 19. Iun. † 21. Mart. 1673.

Simon

Simon Corſinius 1657. 6. Aug.
Barthold Husvvedel 1657. 27. Aug.
Petrus Gœtkens 1658. 6. Maj.
Io. Decker 1659. 2. April.
Henr. Heſterberg 1659. 22. Nov. † 1674. 30. Maj.
Io. Daniel Decker 1660. 17. Maj.
M. Ulricus Decker 1661. 14. April.
Gerhard Kelp 1662. 18. Sept.
Henricus Koch 1663. 10. Dec.
Laurentius Bilderbeck, L. & Secretarius 1665. 13. Iul.
Io. Henr. Grotgeſs 1666. 17. Maj. † 23. Sept. 1668.
Henr. Conrad Beckendorf, 1667. 3. Ian. reſignavit L. Iohanni tho Weſten.
Io. Schrœder 1668. 9. Ian.
Ericus Wordenhof, L. Erici F. 1668. 5. Nov.
Laurentius Wordenhof 1670. 13. Ian.
Chriſtoph. Henricus Bilderbeck, 1673. 3. April.
Hermannus Wetken, L. 1673. 3 Maj.
Albertus Tvveſtreng, L. 1674. 20. Aug.
Ericus Heſterberg 1674. 15. Oct.
Io. tho Weſten, L. & *Secretar.* 1675. 21. Ian.
M. Henricus Elmenhorſt.
Laurent. Peterſen, L.
Ioach. Günth. Bilderbeck.
Georg Danckvverth.
Io. Henr. Decker.
Ioach. Slaphe.

Bar-

Barthold Marcus Tvveſtreng.
Eberhard Langermann, Med. D.
Henr. Neumann.
Carolus Ioh. Vogel.
Io. Daniel Decker.
Erneſtus Conradi.
Lucas Steemann.
Io. Matthias Bieſter.
Io. Hermann Tieſbrunn.
Io. Daniel Steinmann, D.
Io. Henr. Uphof.
Io. Albert Husvvedel.
Io. Wichmann.

VICARII AD S. JACOBUM.

Iohann Decker 1634. 2. Ian. † 1668. 2. Sept.
Georg Decker 1636. 11. Febr.
M. Io. Jæger 1652. 12. Febr. † 1668. 29. Ian.
Iacobus Zernitz 1652. 13. Maj.
Henr. Koch 1663. 14. Maj.
L. Caſpar Thurmann 1663. 13. Aug.
Bernard Ehlers 1663. 17. Sept.
Gerhard Kelpius 1665. 26. Ian.
Benedictus Sellin 1665. 2. Nov. † 1672. 16. Maj.
L. Laurentius Bilderbeck, *Secretarius*, 1665. 9. Nov.
Io. Daniel Decker 1665. 19. Nov.
Dominicus Gartz, J. U. L. 1666. 1. Febr.
Ieremias Wedel 1666. 1. Febr.

Ericus

Ericus Wordenhof 1670. 13. Jan.
Eberhard Slaphius 1670. 28. April.
Henricus Fabricius 1670. 4. Aug.
Petrus Oſtermeier 1670. 11. Aug.
Ægidius Fridrich Nietmarck 1670. 11. Aug.
Io. Matthias Stuhlmacher 1672. 6. Jun.
Hermann Laurentius Decker 1672. 3. Oct.
Philipp Zeiſing 1674. 18. Jun.
L. Jo. tho Weſten.
Daniel Paridon Cramer.
Laurent. Peterſen.
Jacob Olde.
Henricus Dietericus Wieſe.
Nicolaus Lütkens.
Carol Johann Vogel.
Conrad Johann Lillie.
Hartvvig Johann Moller, D.
L. Joh. Wagener.
Franciſcus Stubbe.
Theodorus Fridericus Volcmar.
Joh. Albert Husvvedel.

TRI-

TRIAPOSTOLATUS
SEPTENTRIONIS
VITA ET GESTA
S. WILLEHADI,
S. ANSGARII,
S. RIMBERTI,


Trium Principalium Ecclesiæ Bremensis Episcoporum,
SEPTENTRIONIS APOSTOLORUM,
hactenus desiderata,
Ex prævetusto & avthentico Hamburgensis Ecclesiæ Codice M.S. in lucem publicam producta
per
PHILIPPUM CÆSAREM,
Doct. Theol.

Ad Editionem, quæ prodiit Coloniæ Agrippinæ Anno CHRISTI D. N. 1642.
Apud Petrum Metternich, prope Augustinianos.



ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO
DOMINO,
DN. FRANCISCO WILHELMO,
Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopo *Osnabrugensi*, *Mindensi* & *Ferdensi*,
S.R.I. Principi, Electo Coadjutori *Ratisbonensi*, Metropolitanarum, Cathedralium & insignium Collegiatarum *Colon. Fridsing. Bonnen.* & *Oetting.* respective ArchiDiacono, Præposito, Canonico & Capitulari,
Comiti de *Wartenberg* & *Schaumburg*, Domino in *Walt* & *Hachenburg* &c.
Domino meo Clementissimo,
Et
REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI AC
DOMINO,
DN. ARNOLDO,
Imperialis & exemptæ Abbatiæ *Corbejensis* Præsuli, S. R. I. Principi,
Domino & Patrono meo Gratiosissimo.

D EPI-



EPISTOLA.

REVERENDISSIMI ILLUSTRISSIMI CELSISSIMIq;

PRINCIPES ac DOMINI.

QUod cœleſtis Orator, os veritatis, æterna Dei Patris Sapientia, Dominus noſter Jeſus Chriſtus ait: *Omnis Scriba doctus in regno cœlorum, ſimilis eſt homini patrifamilias, qui profert de theſauro ſuo Nova & Vetera*, Matth. 13, 52. hoc ego inpræſentiarum inter cæteros etiam implere conor. Cum enim in theſauros meos in ſe ſanè quàm modicos ἔξωθεν veniſſet theſaurus omnino maximus, quo gaudere vel ſummorum aliquis potuiſſet, non eum mihi recondere & ſervare ſoli, quod in re pecuniaria avarorum, in re literaria invidorum eſt; ſed cum multis communicare, & publici juris ac commodi facere volui. Vitas & Geſta dico trium ſanctiſſimorum & principalium Bremenſis olim Eccleſiæ Epiſcoporum. S. WILLEHADI, S. ANSGARII & S. RIMBERTI, qui Apoſtolicè à Sede Romana miſſi & veri Septentrionis Apoſtoli fuerunt

quo

quorum hæ, quas nunc edo, Vitæ, ſicut primitus ſcriptæ fuerunt, lucem nondum viderunt, ſed jam ex MS. Hamburgenſis Eccleſiæ libro, antiquo & avthentico, in charta pergamenta, in eam à me primo emittuntur. Vitas has ut hic jam edimus viderunt *M. Adamus Bremenſis* Canonicus, *Albertus Crantzius*, Hamburgenſis Decanus, & *Laurentius Surius*, Carthuſianus Colonienſis, qui ex eis verbotenus ferè ſumſerunt, quæcunque de his Sanctis prodiderunt, & reliqui deinde ex illis: ſed viderunt latitantes in Bibliothecis Eccleſiaſticis, ubi etiam reliquerunt, nec inde totas produxerunt, ſibi tantum ſua transſcribentes. *Cæſar* autem *Baronius* Cardinalis diligentiſſimus, poſt priores illos antiquitatis Eccleſiaſticæ perluſtrator & inquiſitor, non uno loco conqueritur de Libro Vitæ S. Anſgarii magna cum jactura perdito & amiſſo, ſicut infra in notis meis ad c. 1. referam. Ut hinc conjectura aſſequi liceat, illas Vitas ad ejus conſpectum non conjunctim, ſicut in hoc Codice Hamburgenſi ſunt, ſed ſeparatim veniſſe: ſecus, qui primam & ultimam vidiſſet, quomodo mediam incognitam habere potuiſſet? Quod autem *Antonius Poſſevinus* Mantuanus S. I. Tom. 2. Apparatus ſacri in voce *Rembertus* ait: S. Rembertus ſcripſit (inter alia) Vitam S. Anſgarii, qui (liber) excuſus eſt: ita intellige, apud Adamum Crantzium, Surium & alios, dicto modo excuſum eſſe; alias in hac forma, quâ hîc nunquam excuſus eſt. Certe vidit eum noſtro tempore ante me Ma-

gnificus Dominus *Paulus Cypræus*, Gottorpiensi
Cancellarius, qui ex præfatione ejus verbotenus
quædã citat; ut infra in notis eod.loco indicabo.
Tandem vero nunc mihi, multò jam ante sacra
gesta virtutesque Sancti præsertim Ansgarii per-
enni editione celebrare gestienti, in manus ul-
tro est delatus. Ita non sine divini consilii di-
spositione res suæ tandem Ecclesiæ redeunt, &
quod dicitur, *Sancti suas Ceras*, adde jam & Libros
suos, *repetunt*, restituturi, si Deo placuerit, suam
etiam aliquando Fidem, suas Cerimonias, to-
tamque redintegraturi Ecclesiam; quod faxit
Deus, ut ego videre merear antequam moriar!
Mirari autem divinorum consiliorum bonita-
tem & profunditatem, ut in aliis omnibus, sic in
hoc ipso quoque negotio, satis non possum.
Cùm ante complures jam annos in Civitate
Bremensi adhuc Acatholicus in S. tamen Ans-
garii Æde, quæ ibi egregia est, & unam ex præ-
cipuis quatuor Parochiis sibi adjunctam habet
Canonicum agerem & Pastorem primarium
non incelebrem, dolens quòd S. Ansgarii, tanti
& tam de Ecclesia illa ut & totius Septentrionis
bene meriti viri, (ea mihi jam tum de eo fuit
existimatio) non haberetur historia, cogitabam
multumque diuque versabam animo, quomodo
quæ de S. viro apud probatos Autores legerem
& hincinde auditu visuque percipere possem, a-
pto ordine redigerem, & ecce, variis hucusq; in-
cidentibus præpedito ipsa Vetus de eo Historia
meliùs quàm à me aut quovis alio fieri queat de-
scr

scripta, sponte se in manus offert, & Sanctum mihi sistit, exserte quasi dicentem ; En adsum, fac quod dudum cogitasti, pietatem in me tuam exsequere, & ego, quod hactenus feci, meam in te vicissim ostendere pergam. Credo, sicut aliorum, sic hujus præcipuè Sancti precibus ac meritis, agnito hæreseos errore, me ad Unam Sanctam Catholicam Ecclesiam conversum esse, pro quo summo beneficio Deo optimo maximo sat dignas gratias nunquam agere possum. Sic igitur hactenus desideratam & intercidisse putatam S. Ansgarii Vitam, una cum antecessoris S. Willehadi & successoris S. Rimberti Vitis, ut in illo Ecclesiæ Hamburgensis vetusto Codice sunt, summa fide & diligentia in lucem emitto. Qua in re me non horum tantum Sanctorum honori litare, sed multorum etiam desideriis satisfacere, communique utilitati consulere existimo: siquidem scriptæ sunt hæ Vitæ & res gestæ, non ut perpetuis tenebris tegerentur, sed ut à plurimis cognoscerentur, & posteritati memoriale exhibitæ divinæ gratiæ, zeli, & imitationis exemplum essent; quem finem non minus, qui edendo à perditione salvat, quam qui scribendo æternitati manciparunt, spectat & quantum tempora sinunt assequitur.

Non minor est virtus, quàm quærere parta tueri, inquit Poëta: & Ecclesiasticus: *Sapientia absconsa, & thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque?* Sirac. 20, 32. Aliàs, *Vetera præterierunt, & ecce*

Nova facta sunt omnia: Es. 43, 19. 2. Cor. 5, 17. Apoc. 21, 5. Hic autem & Vetera Nova sunt, & Nova Vetera; Vetera, quatenus olim gesta & scripta, nova quatenus jam nunc è tenebris & situ eruta æternitati, cui primitus destinata erant, quasi regignuntur. Qua in re patrifamilias præstare videor, qui non quæ Vetera sunt producit Nova, nec quæ Nova Vetera, sed diversa & invicem distincta, alia Vetera, alia Nova: similis autem factus Salvatori, qui Novum dilectionis præceptum dedit Discipulis suis, non quod aliud esset à Veteri, sed quod Nova & perfectiore regula dirigeretur; *Diliges proximum tuum, sicut dilexi vos*, inquit Salvator: cum Moses dixisset *sicut te ipsum*, Joh. 13, 34. & 15, 12. Lev. 19, 18. Matth. 22, 39. Quo eodem sensu S. & dilectus Domino Discipulus idem dilectionis mandatum Novum appellat & Vetus: quia tenebræ Veteris Testamenti, quando Lex in litera & nostris viribus fundabatur, transierunt, & verum lumen jam lucet, Novi scilicet Testamenti, in quo ejusdem Legis observantia in Spiritu, & Christi gratia consistit. 1. Iohan. 2, 7. 8. 2. Corinth. 3, 6.

Hunc autem laborem meum in trium Sanctissimorum Vitas vedivivas impensum, V. V. Reverendissimis Celsitudinibus, singulis suo cum respectu, humiliter dicare & dedicare volui; tum quia & statu, & pietate, doctrina, prudentia, omnique virtutum cumulo personæ esti-

ho

hoc thesauro plusquam dignissimæ; tum quia, pro vestra in Ecclesiam ejusque Sanctos devotione ac cura, hunc libellum & ab inuidorum insectationibus defendere, & fidelium observantiæ commendare potestis; tum & ego meam qualemcunque gratiam pro mihi & meis hactenus præstitis gratiis maximis rependam. Et suppetit præterea pro singulis singularis etiam ratio: quia Dominus meus Episcopus Osnabrugensis & Mindensis, etiam Episcopus est Ferdensis, qui districtus olim ante *S. Swibertum*, primum ejus loci Episcopum, Religione Christiana imbui cœpit à *S. Willehado*: quia Vita *S. Ansgarii* similiter à *S. Rimberto* Discipulo & successore in Archi-Episcopatu Hamburgo-Bremensi, ad Abbatem, Patres, & Fratres conventus *Corbejensis* scripta est; quibus idcirco utrisque universim & singulatim jure merito à me offerenda fuit. Suscipite igitur Reverendissimi & Illustrissimi Domini quod unice humiliter peto, hoc ut â me munusculum exiguum, in se ipso maximum & vobis tantis dignum, lubente ac favente animo, &, qui horum aliorumque sanctorum imitatores estis strenui, me infimum eorum Vestrique cultorem, cum omnibus meis, clementia, protectione & paterna Vestra cura imposterūm semper prosequimini. Sic vos omnipotens cœli terræque Dominus in vita sana ac sancta diu conservet. Vestris restituat, pluribus augeat, regimine hic felice donet, & ibi æter-

na gloria beet. Dabam in Archi-Episcopalis Residentiæ civitate Bonna, Mense Septembr. Anno Christi Salvatoris nostri 1642.

Reverendissimarum & Illustrissimarum Celsitudinum Vestrarum

humillimus & subjectissimus Cliens

P. PHILIPPUS CÆSAR, C.

OBSERVATIO.

Hæ sic olim scriptæ & à me jam editæ Vitæ tantæ fuerunt Autoritatis, ut ex iis in Horis Canonicis Lectiones verbotenus desumptæ fuerint, ut videre est in antiquo Breviario de Tempore & Sanctis secundum Diœceseos Bremensis ordinantiam impresso Coloniæ Anno Domini M CCCC LXXXVI. qui liber si non alibi hic tamen Coloniæ in Cartusia adhuc superest.

APPROBATIO.

Ex commissione admodum Reverendi & Eximii Viri ac D. Henrici Sierstorpffii, Canonici Metropolitani & Regentis Laurent. S. Theol. Doct. librorum Censoris, evolvi Vitam & res gestas S.S. Willehadi, Ansgarii, & Rimberti, Episcoporum Bremensium & Septentrionis Apostolorum, ab Admodum Reverendo ac Clarissimo Domino Philippo Cæsare, Doctore The-

Theologo, in publicam lucem productas notisque illustratas: Quæ quia nihil orthodoxæ fidei seu bonis moribus dissonum continent, sed in omnibus avitam Majorum pietatem, & in propaganda religione Romano-Catholica zelum plane cœlestem spirant, tuto distrahi, & ab omnibus non sine fructu & utilitate legi poterunt. Dabam Festo S. Remigii Anno 1642. 1. Octobr. Coloniæ Agrippinæ ad S. Petrum.

ARNOLDUS MESHOVIUS,
Lipsiensis S. Theol. Doct.
Pastor S. Petri.

HÆC SUNT CAPITULA IN VITAM ET GESTA SANCTI WILLEHADI.

IX.

PHILIPPI CÆSARIS *ANNOTATIUNCULÆ* *IN HANC EDITIONEM.*

In editione vitæ horum Sanctorum non commendabo nisus & labores meos de quibus nemo rectius judicat, quam qui ipse expertus est: de diligentia autem & fide mea hoc testor, quod utramque summam adhibuerim, in id omni studio incumbens, ut non dicam sine fraude, sed sine etiam ἀυτοφρονήσει proprii judicii sapientia, pure & incorrupte vetustus ille Hamburgensis Ecclesiæ Codex, hactenus privatis tenebris obrutus in lucem publicam prodiret. Itaque

que nec in verbis nec in rebus quicquam vel addidi vel detraxi, vel immutavi, sed omnia ut sunt reliqui: exceptis illis, quæ omnium judicio & consensu necessario rectificanda erant. Est enim liber hic pulchre quidem & legibiliter scriptus, sed mendis & erratis scriptoriis passim refertus; quæ relinquere & deinceps in his notis corrigere, totum librum fœdasset, annotationes protraxisset, & tanquam inanis ac superfluus labor omnibus, scio, prudentibus lectoribus displicuisset. Ea igitur pro modulo meo sustuli. Reliqui tamen multa alia, quæ, ut Latinus & tersus esset sermo, qui tamen hactenns pro temporum illorum ratione optimus est, limam merebantur: quia vero in veterum, etiam eruditorum usu erant, atque etiamnum hodie fere sunt, ab iis abstinui manus. Circa res autem ipsas si quid declaratione aut consideratione dignum occurrere videretur, ad has notas rejeci, & in gratiam lectoris impendi. Spero, ut in edendo hæc diu desiderata multis gratus ero, sic in observando quædam neminem me læsurum.

NOTÆ VERBALES GENERALES.

1. Cum Vita S. Ansgarii Capitulis & Rubricis distincta esset, ego vitam S. Willehadi, & vitam S. Rimberti similiter distinxi, ut & lector continuo opere non nausearet, & citationes à nobis aliisque commodius fieri possent. In quem finem etiam lemmata illa marginalia addidi, ut ubivis oculis facile occurreret quod quæreretur.

2. De

2. De nominibus trium horum Sanctorum sic invenio & judico. Nomen S Willehadi semper uno modo sine variatione scriptum est, & adhuc hodie Bremæ ita pronunciatur. Nomen autem S. Ansgarii variè in hoc libro scribitur: aliquando per K. Anskarius, aliquando per C. Anscarius, aliquando per C H. Anscharins: aliquando per G. Ansgarius Ultimam hanc scriptionem puto genuinam esse & literam G. Gallico more pronunciari ut S C H; quæ pronuntiatio in hodiernum usque diem Bremæ usitata est, ubi absorptâ primâ syllabâ dicunt Sent Scharies Kirch/Straß/Thor/ɛc & inde profluxit, ut quidam per sch scriberent, quod plane à Gallica, qualis hæc est voce abhorret.

Nomèn etiam S. Rimberti aliquando hic scriptum est Rembertus, quod Baronius, Haræus, Lippeloo, & alii retinent: quia tamen in toto textu perpetuo scribitur Rimbertus, ego illud non mutare, sed retinere malui, ut ostenderem antiquam illius seculi pronunciationem Hodie Bremæ utramque literam E. J. conjungunt, & contracta voce Sent Reimer dicunt.

3. Vitia scriptoria quæ sustuli, ejusmodi ferè sunt: tempto, dampno, pro tento damno: nuntio, negotium, pro nuncio, negocium: Diocesis pro Diœcesis: Reverentissimus, pro Reverendissimus: Parrochia pro Parochia: pulcher, sepulchrum pro pulcer, sepulcrum: midomina, pro mea domina: fortuitu pro fortuito: pacior, pocior, toctius, pro patior, potior, totius: Scola pro schola, pyrata pro pirata, & similia quam plurima.

4. Correxi etiam Idolatria pro Idololatria: est enim εἰδώλε λατρεία. Item Kalenda, quod in singulari numero non dicitur, sed Kalendæ, arum in plurali, nolim etiam per K. scribere, cum sit in Latino Calo, as, are, id est, interpono, sicut dies ille bissextilis ex quatuor annorum sex horis confluens in Februario interponitur seu intercalatur: vox certe Græca non est quod Proverbium, ad Calendas Græcas ostendit, quia

Græ,

Græci vocem illam non habent. Item illud, quilibet, quælibet pro quidam, quædam quod nimis frequens in hoc scripto est.

5. Reliqui, etsi minus Latina, tunc tamen & nunc, præsertim Ecclesiasticis usitata: sibi, pro illi: illi, pro sibi: innotuit, pro, notum fecit: benivolentia, pro, benevolentia: quatinus, pro quatenus: quatinus, pro ut: Psalterium pro Psalmo: artius, pro arctius & vocem omnimodis pro, omnimodo, ubique retinui, quia tum usitata, & hodie forte non omnino barbara est, quod omnibus modis diceretur, pluraliter, quod alias singulariter quasi omnimodo dicitur.

6. Inter cætera etiam hoc mihi monendum videtur, quod hinc inde Conjunctiones adversativæ, vel, sive, seu pro copulativa & inveniuntur: ut longe vel prope, pro longe & prope. Coëpiscopis, Presbyteris seu cæteris Ecclesiasticis Ordinibus, Principibus, Ducibus seu Comitibus; vel cunctis Christianis DEI fidelibus; pro & atque & similia, quæ cum hac admonitione reliqui.

7. Frequens est in hoc opere infinitivos Activos pro Passivis ponere; ut curavi hic interserere, pro, interseri, in literis instruere jussit pro instrui: privilegia jussit describere, pro, describi: præcepit eum erudire pro erudiri: & similia, quæ intacta reliqui, quia aliqua ratione adhuc tolerabilia sunt & interpretatione juvari possunt.

8. Observandum etiam est in hoc opere frequenter Plusquam perfecta Conjunctivi pro Præsentibus poni, sic: quatenus Legatio crescere in Gentibus potuisset, pro posset: item debuisset pro debeat: cœpissent, pro cœperint. Ex adverso impleret, pro implêrit vel impleverit: redimeret pro redemerit: præpararet pro præparârit: haberet pro habuerit; & similia, quæ cum hac admonitione reliqui.

9. Invenias etiam non raro Deponentia Passive posita; ut conaretur, protestarentur et similia quæ non expunxi.

10. Pla-

10. Placitum, frequens est pro Consilio & Consultatione, in qua quid omnibus placeret, & quærebatur, & inventum promulgabatur, quod adhuc hodie apud Belgas Placatam dicitur, apud nos Patentum, quia in patenti & plana forma describitur, ut templorum portarumque valvis, & aliis tabulis affigi possit ad publicam notitiam: ideo Placiti vocem semper Majusculâ scripsi, ut Lector de singulari significatione moneretur.

11. Missus etiam pro legato, frequens in hoc opere est; sicut nos Germani adhuc dicimus, Ein gesandter à mittendo: etsi autem Legatus à legando, quod idem est atque mittere cum mandato, nihil aliud sit quam Missus, in hoc tamen opere ita ferè distingvuntur, ut Legatio ad Evangelii prædicationem, Missio vero ad alias res externas applicetur; ideo & has voces majusculis Lectoris gratia scripsi.

VITA[a])
S. WILLEHADI
CAPUT I.
Prologus in vitam Sancti Willehadi.

CUm Sanctorum laudes & actus religiosa fidelium depromit affectio, Christum profecto in eis prædicare, Christum nititur glorificare. Ipsius enim facti sunt virtute victores, cujus gratia probati fuerant in bona conversatione fideles. Gratiâ namque Dei, secundum Apostolum, sunt sancti quod sunt. Et quia

a) Sanctum Ansgarium scripsisse Vitam S. Willehadi clarum est ex cap. 13. in princ. ubi ipse suum nomen exprimit, & ad universos per orbem fideles scribit.

quia gratia ipsius semper est bona, per hanc quoque fiunt homines voluntatis bonæ. Ipsa quoque Dei fit gratiâ ut ipsa bona voluntas, quæ jam cœpit esse augeatur in bono, & ita crescendo multiplicetur, quo possit justus quilibet divina implere mandata, quæ voluerit, plene perfectèque voluerit. Laudandi itaque sunt Sancti propter bona merita ipsorum; quinimo magis in eis Christus est laudandus, cujus gratia perceperunt, ut boni ac Sancti fierent. Quæ tamen laudis præconia cum multis in hac vita pie religioseque viventibus fidelium devotione merito impertiantur, melius tamen ac rationabilibus post bene peractam ac feliciter consummatam hujus seculi periculosissimam vitam sanctis exhibentur hominibus. Quia tunc potissimum sanctitatem cujusque convenit extollere ac prædicare, quando nec qui laudatur elatione tentari, nec laudans adulatione poterit notari. Unde & mos sanctæ Ecclesiæ justissimus inolevit, ut Sanctorum qui in hac vita miraculis & fidei devotione ac bonorum operum perfectione clari ac laudabiles extiterunt, post eorum discessum conversatio ac religiositas describatur, ut posteri habeant, in quo exemplum virtutis imitentur, habeant etiam in quo gratiam divinæ miserationis contueantur, nec desperent, se posse, quæ forte impossibilia videbantur, cum hæc in illis cernant impleta, quæque, ut ipsi fragili hîc carne circumdati, mirâ atque eximiâ divinâ adjuti gratiâ perpetrarunt.

Cum

Cum vero hæc â fidelibus cunctis jure impendenda sint Sanctis, illius videlicet supernæ patriæ beatissimis civibus: diligentius tamen hoc unusquisque illis exhibere debebit, quorum patrociniis specialius se tutari atque adjuvari, nempe indubitanter atque fideliter credit. Unde & nos Beati patris nostri Willehadi primi Bremensis Ecclesiæ Episcopi, religiosam, & in omnibus Deo devotam dignum duximus conscribere vitam, quo triumphum virtutis ejus enarrantes, & divinam prædicemus in eo gloriam, & exemplum Sanctitatis ad imitandum aliis proponamus.

Incipit
VITA S. WILLEHADI
EPISCOPI ET CONFESSORIS.
CAPUT II.
De Patria eius, & quid in ea egerit.

FUit itaque Vir Venerabilis de gente Anglorum, ex Nordhumbris, nomine Willehadus, qui ab infantia sacris eruditus literis ac spiritualibus instructus disciplinis, studiose in Dei cœpit culturâ vivere; & jejuniis vigiliis atque obsecrationibus, die noctuque intentus, in Dei Omnipotentis servitio devotus extitit, fueruntque ejus acta cunctis illic habitantibus, sicut honesta & bona, ita quoque amabilia & laudabilia.

Qui-

Quique etiam succedente ætate, cunctorum favore per electionis gratiam ibidem ad honorem est provectus Sacerdotalem: quod ille Sanctitatis merito, ac præcipuis bonorum operum exercitiis, magis ac magis semper exornare atque augmentare studebat. Denique accepta consecratione Presbyterii, audivit quod *Fresones* atque *Saxones*, populi hactenus increduli atque pagani, relicta Idolorum culturâ fidei Catholicæ quodammodo jam cœpissent ambire ministeria, ac Baptismi Sacramento vetustatis cuperent maculis emundari. Hoc itaque audito, magno vir Dei repletus est gaudio, & intimo succensus amore inhianter quærere cœpit, qualiter pro Dei amore illas in partes sese transferret. Et quia divino instinctus Spiritu servus Dei hujuscemodi zelo de die in diem exardescebat, non potuit lucerna accensa latere sub modio in tenebris; sed posita est super candelabrum, ut luceret palam omnibus qui vel tunc vel futuri erant in domo Domini. Accessit *b)* ergo ad Regem, qui tunc temporis in gente Anglorum dominabatur, nomine *Alachrat*, & quo ad Domini esset servitium zelo accensus, illi lacrymabiliter intimavit, petivitque ut ejus permissu atque licentiâ ad prædicandum verbum Domini patrias jam prædictas sibi adire liceret. Qui comperta

E ejus

b) Rex Angliæ, à quo S. Willehadus veniam ad Frisios Evangelizandi causa eundi impetravit, appellatur *Alachrat*, Zachar. autem Lippeloo, & Franc. Hæreus in Vitt. S, S. 8. Novembris eum appellant *Alachintum*.

ejus sanctissima voluntate, convocato ad se Episcoporum aliorumque Dei servorum non minimo conventu, coram omnibus ejus ferventissimam insinuavit devotionem, omniumque pari consensu, quippe quia & cunctis jam pridem ejusdem Beati Viri probabilis Sanctitas fuit, eum supernæ commendatum gratiæ ad prædicta loca causa prædicandi verbum Domini destinavit.

CAPUT III.

Quomodo in Fresiam venerit, & quomodo res ei procedere ibi cœperit.

QUAm ille peregrinationem libentissimo suscipiens animo quantocius mare quod erat adjacens transmeavit, venitque in Fresiam ad locum qui dicitur *Docyncyrca c*) quod est in pago *Hostracha*, ubi & Dominus *Bonifacius* Episcopus jam olim Martyrio coronatus fuerat. Ibi ergo quum

c) S. Willehadus ex Anglia solvens, & in Fresiam appellens, primum venit *Docyncyrcam* in pago *Hostracha* ubi olim Dominus Bonifacius Episcopus martyrisatus erat; Franc. Haræus appellat *Dockinge*, hodie dicitur *Dockum*, hoc Zachar. Lippeloo totum omisit. Inde venit trans fluvium *Loveke* in locum *Humarcha*: illi fluvium *Lavinca*, & locum *Huchmarke* appellant. Inde venit in *Thrianta*: illi *Drentiam* appellant; hodie autem *Drente* dicitur. Inde venit in *Wigmodiam*, quod omnes habent: quæ autem Wigmodia sit, adhuc compertum non habeo; puto tamen ex hujus historiæ lectione, esse tractum illum trans Visurgim Saxonicum, qui jam Verdensem & Bremensem Episcopatus habet.

qvum per prædicationem memorati Martyris multi antea ad fidem instructi fuerant, cum magno ab eis est honore susceptus, ibique docens ea quæ Dei sunt multo tempore habitavit. Nam *d)* & plurimi Nobilium infantes suos ipsi ad erudiendum ibidem tradiderunt: quos ille tam verbo doctrinæ quam exemplo piæ conversationis ad divinum jugiter incitabat amorem, multosque errantes olim à fide ad veram & Catholicam revocavit scientiam: seque maximum lumen supernæ claritatis eodem in loco exhibuit; Gentilium quoque quam plurimam catervam verbo sanctæ prædicationis instructam, ibidem baptizavit.

CAPUT IV.

Quomodo occidendus & sorte divinitus liberatus sit.

INde voto procedens transivit fluvium *Lovecke*, venitque ad locum qui dicitur *Humarcha*, ibique Barbaris cœpit nomen Domini prædicare, ac persuadere, ut relicta superstitione Idolorum unius veri Dei notitiam susciperent; quo per sacri Baptismatis absolutionem peccatorum suo-

d) Illi voci, *nam* aliquis superscripserat, *tunc*, quorum utrumque quidem verum est; ego tamen malo ipsum primum textum retinere, quia nullum incommodum habet, & causam alteram reddit, præcessit enim prior, cur S. Willehadus diu isto loco manserit.

ſuorum veniam promereri potuiſſent *e)* dicens: inſanum eſſe & vanum, à lapidibus auxilium petere, & à ſimulacris mutis & ſurdis ſubſidii ſperare ſolatium. Quo audito gens fera & Idololatriis nimium dedita, in ira magna pariter omnes excitati, ſtridebant dentibus in eum, dicentes; non debere prophanum longius vivere, immo reum eſſe mortis, qui tam ſacrilega contra Deos ſuos invictiſſimos proferre præſumſiſſet eloquia. Quidam tamen inter eos ſaniori conſilio ſuadebant cæteris, dicentes: Ignotam ſibi hanc eſſe religionis normam, utrum ex divina ſit voluntate propoſita, virum quoque ipſum nulli prorſus obnoxium crimini: qua de re nec oportere eum tam dubiâ nece perire, verum magis mittendam eſſe ſortem, quo demonſtraretur cœlitus, an dignus eſſet interitu: ſin alias, ut dimitterent eum liberum, & ipſi in nullo penitus noxii probarentur. Factum eſt ergo uti perſuaſerant, ac ſecundum morem Gentilium miſſa eſt ſors ſuper eo, vivere an mori debuiſſet. Gubernante itaque divinâ providentiâ, ſors mortis ſuper eum cadere non potuit, quapropter nec nocere illi in aliquo ſunt auſi, ſed inito conſilio, dimiſerunt eum à ſe abire illæſum.

e) Illud *potuiſſent*, relinquendum eſt, & non ſcribendum, *poſſent*, non enim conſenſerunt ejus prædicationi; ſed eum ejecerunt ex finibus ſuis.

CAPUT

CAPUT V.

Quomodo plagis & gladio cæsus miraculosè servatus sit.

QUi inde transiens venit *Thrianta*, ibique dum prædicaret verbum Domini plurima multitudo Gentilium credidit, ac Baptismi Sacramentum percepit. Quo in loco ipse diutius immorans, & non credentes instruere, etiam credulos in via veritatis, tam verbis quam & exemplis, sedulus corroborare studebat. Cœperuntque plurimi bonam vitam Magistri, & errores Gentilium odio habere, & Christianam quam profitebantur Religionem devota intentione venerari. Unde contigit, ut quidam discipulorum ejus, divino compuncti ardore, fana in morem Gentilium circumquaque erecta cœpissent evertere, & ad nihilum prout poterant redigere. Quo facto Barbari qui adhuc forte increduli perstiterant, furore nimio succensi, irruerunt super eos repentè cum impetu, volentes eos funditus interimere. Ibique Dei famulum fustibus cæsum multis admodum plagis affecêre. Quorum etiam unus evaginato gladio super servum Dei irruit, conatus ei caput abscindere. Verum Beatus Vir ipso in tempore capsam cum sanctis reliquiis in collo suspensam habebat: cumque ictus ferientis super collum ejus decideret, corrigiam quidem capsæ præcidit ipsum verò in nullo penitus vulnerare

potuit. Quo miraculo pagani exterriti, ipsum ac socios ejus illæsos abire passi sunt, nec ulterius in aliquo eis molesti esse præsumserunt.

CAPUT VI.

Quomodo à Carolo Imperatore in Saxoniam missus sit.

POsthæc vero gloriosissimus Francorum Rex *Carolus*, qui tam multotiens in gente *Saxonum* elaboraverat, quo ad fidem Christianæ Religionis converterentur; sed illi aversi semper cordibus susceptam fidem sæpiùs deserentes, pristinis magis implicabantur erroribus, auditâ famâ viri Dei, ad se eum accersiri præcepit. Quem ad se venientem honorifice ac reverenter suscipiens ejus confabulationi ac doctrinæ libenter animum attendebat, probatumque sanctis moribus ac fidei non fictæ constantiâ misit in partes Saxoniæ ad pagum qui dicitur *Wigmodia*, quo inibi auctoritate Regali, & Ecclesias instrueret, & populis doctrinam sanctæ prædicationis impenderet, atque viam salutis æternæ libere cunctis illic habitantibus nunciaret. Quod ille ministerium devote susceptum officiosissime peregit, ac pertransiens cunctam in circuitu diœcesin multos ad fidem Christi evangelizando convertit; ita ut in secundo anno tam *Saxones* quam & *Fresones* in circuitu commorantes, omnes se pariter fieri promitterent Christianos. Hoc itaque factum est anno Incarnationi

nis Domini DCC LXXXI. Regni vero memorati Principis Caroli XIV. qui tamen nec dum Imperiali fuerat apice sublimatus. Quem postea per manus Reverendissimi *Leonis* Apostolici Imperatorem Romæ consecratum anno regni ejus XXXIV. Catholica Europæ consistens Christi venerata pariter & gratulabunda suscepit Ecclesia.* Siquidem Imperialis potestas, quæ post Constantinum piissimum Augustum apud Græcos in Constantinopolitana hactenus regnaverat sede, cum deficientibus jam inibi viris Regali prosapiæ fœminea magis directione res amministraretur publica, temporibus ipsius per Electionem Romani populi, in maximo Episcoporum aliorumque Dei servorum Concilio ad Francorum translatum est dominium: quoniam & ipse eandem, quæ caput Imperii fuerat, & multas alias tunc in orbe videbatur tenere Provincias, ob quod & jure Cæsarea dignus esset appellatione. Præfato itaque Regni ejus tempore Servus Dei Willehadus per *Wigmodiam* Ecclesias cœpit construere ac presbyteros super eas ordinare, qui liberè populis salutis ac Baptismatis conferrent gratiam.

CAPUT VII.

Quomodo Widdikindi persecutionem fugerit & quid socii ejus passi sint.

VErum sequenti anno instigante Diabolo totius boni invido quidam extitit perversioris con-

consilii *Widdikindus*, qui rebellare contra Regem visus *Carolum*, multam secum *Saxonum* multitudinem aggregavit: qui etiam unanimiter eos, qui in fide Christi stabiles videbantur, persequi ac punire, Servos quoque Dei per loca quæque vagantes dispergere, atque à finibus suis effugare cœperunt. Qua persecutione commotâ Servum Dei contigit, secundum mandatum Domini,* præcipientis; *Si vos persequuti fuerint in una civitate, fugite in aliam*; de *Wigmodia* transire in *Utriustri*; *f*) ibique conscendens navim mare circa *Fresiam* transfretavit, sicque opitulante Christi gratia persecutionem eorum evasit. Porro *Saxones* crudelitatem, quam circa Magistrum nequiverant, in Discipulos ipsius exardescente ira ferventius exercuerunt. Siquidem *Folcardum* presbyterum cum *Emmingo* Comite in pago denominato *Leri*, *Benjamin* autem in *Cibbriustri*, *Atrebanum* vero Clericum in *Thiatmaresgabo*. *Gerwalum* quoque cum sociis suis in *Brema*, odio nominis Christiani gladio peremerunt. Et ipsis quidem ita ad regna cœlestia effusione proprii sanguinis feliciter evocatis; persecutionis tamen procella diutius postmodum rebellantibus desævit Saxonibus.

*Matth. X, 23.

f) Aliquis finalem syllabam, *gen* ascripserat, sic: *Utriustrigen*, *Cibbriustrigen*: sed eo priorem scripturam retinui, quia illa terminatio *gen*, non est antiquorum Frisonum sed nova.

CAPUT

CAPUT VIII.

Quomodo durante persecutione Romam profectus sit, & in Fresiam redierit.

Quo facto vir Dei cognoſcens nullam ſibi tunc temporis prædicandi oportunitatem ineſſe, arrepto itinere *Pippinum*, *Langobardorum g*) Regem adiit; ſicque proſpero curſu *Romam* pervenit: ubi conſiſtens multis lacrymis & precibus ad Sedem ſacratiſſimam Beati Petri Apoſtolorum principis, ſe cunctamque fidelium turmam ſedulus ac devotus divinæ commendabat clementiæ; illos præcipue quorum cura maxime cordi erat, ne forſan ſuſcepta in partibus Saxoniæ Chriſtianitas machinatione diabolica tunc penitus annullaretur. Inde autem diſcedens & conſolatione Venerabilis Papæ *Adriani* non modice corroboratus, Servus Dei gaudens

E 5 re-

g) Aliquis in voce *Langobardorum* ſupra *a* ſcripſerat, *o*, ut *Longobardorum* eſſet: ſed vetus ſcriptio videtur melior, quia e duabus Germanicis vocibus nomen compoſitum eſt Lange Bärter à longis barbis ſic dicti. Niſi malis à genere armaturæ acutæ, bipenni, von einer langen Barten/ deducere, quam nos adhuc à ſplendore ferri eine helle Barte/ appellamus: Inſtrumentum enim minuſculum, quo lignum findimus, aſciam, quam aliqui ein Beil dicunt, adhuc vocamus eine Barte. Utrovis modo derives, ſemper à Lang eſt. à Latino enim, *longus*, non facile deduces, quia diverſarum linguarum voces, etſi aliquando, non commode tamen in unam componuntur.

repedabat in *Franciam*. Quo itinere contigit, divinam in eo etiam operatam fuisse virtutem. Namque minister viri Dei vocabulo *Aldo*, qui alimenta procurabat Magistri, quandam habebat patinam ligneam, quæ vulgo scutella vocatur, quam jugiter mundam ac nitidam ad mensam ipsius coram eo ponere solitus erat. Quam præfatus minister quodam die casu fractam repperit. Tempore itaque refectionis cum eam vir Dei requireret, minister negligentiam quæ contigerat nequaquam ei celare voluit; sed hanc fractam fuisse narravit: quam ille ad se qualis erat statim deferri præcepit. Sed minister ad locum ubi jacebat, rediens, quam antea fractam reliquerat, ac si nihil unquam detrimenti habuerit, integram repperit. Quam allatam coram ipso lætus ac hilaris posuit, qui antea tremebundus & pavens, iram justæ correptionis pertimuit. Quod ob gratiam sancti viri cœlitus factum non dubitatur: quamvis ipse elationem fugiens magis in abscondito, quam publice id fieri cupiverit. Igitur ab itinere concepto reversus, transivit ad locum, qui dicitur *Asternacha*, ibique discipuli ejus qui propter metum persecutionis passim dispersi fuerant, ad eum sunt denuo copulati. Quos ille benigna consolatione refocillans, ut pro fide Christi constanter in omnibus se agerent, piè ammonere studuit. Quique in eodem loco duobus fere annis de-

mora-

moratus elegit solitariam iuclausus *b)* ducere vitam: ubi etiam non mediocriter vivens, cum lectioni atque orationi operam daret, tum præcipuè scriptioni interdum deditus erat. Nam scripsit ibi Epistolas Beati Pauli in uno volumine, aliaque quam plurima, quæ à successoribus ipsius ob monimentum sanctæ recordationis ejus servata, hactenus manent inconvulsa. Multi quoque in eodem loco exemplis ejus & monitis ad meliorem sunt vitam correcti & ad servitium Domini non ignaviter accensi.

CAPUT IX.

Ordinatio Sancti Willehadi in Episcopum.

POst hæc autem iterum venerandus Domini Sacerdos Regem adiit *Carolum*, qui tunc forte in castello consederat Saxoniæ *Eresbur*, proponens voluntatis suæ devotissimam in præparatione Evangelii pacis, affectionem: atque ipsius in hoc æquissimam requirens præceptionem. Qui pro consolatione laboris ac præsidio subsequentium ejus, dedit ei in beneficium, quandam * Cellam in Francia, quæ appellatur *Justina*: præcepitque ei ut iterum pro nomine Christi cœptam repeteret Parochiam. Quod ille gratanter ac religiose suscipiens, rursus venit *Wig-*

b) Hic aliquis ex illo inclausus *a* raserat, ut esset inclusus; sed ego retinui prius.

* Datur S. Willehado Cella in Francia.

Wigmodiam, & fidem Domini publicè ac ſtrenuè Gentibus prædicabat. Eccleſias quoque deſtructas reſtauravit, probataſque perſonas, qui populis monita ſalutis darent, ſingulis quibusque locis præeſſe diſpoſuit. Sicque ipſo anno, divino ordinante inſtinctu, Gens *Saxonum* fidem Chriſtianitatis, quam amiſerat, denuo recepit. Sed & totius mali auctor incentorque perfidiæ ** *Widikindus*, eodem anno Regi ſe ſubdens *Carolo*, Baptiſmi eſt gratiam conſecutus: Sicque ad tempus ſedata ſunt mala, quæ illius fuerant ingeſta pernicie. Poſthæc vero cum omnia pacifica viderentur, & ſub leni jugo Chriſti, Saxonum ferocia, licet coacta, jam miteſcerent colla; memoratus præcellentiſſimus Princeps in *Wormatia* poſitus civitate, ſervum Dei Willehadum conſecrari fecit Epiſcopum, tertio Idus Julii, conſtituitque eum Paſtorem atque Rectorem ſuper *Wigmodiam* & *Laras*, & *Ruiſtri*, & *Aſterga*, nec non *Nordendi* ac *Wanga*, ut inibi auctoritate Epiſcopali & præeſſet populis, & uti cœperat doctrinâ ſalutari operibusque eximiis ſpeculator deſuper intentus *i)* prodeſſe ſtuderet. Sicque ipſe primus in eadem Diœceſi Sedem obtinuit Pontificalem. Quod tamen id tamdiu prolongatum fuerat, quia gens credulitati divinæ reſiſtens,

** Widekindus convertitur.

i) S. Willehadus vocatur ſpeculator deſuper intentus, hodie dicitur Superintendens: quod nomen Novatores noſtri libenter uſurpant loco nominis Epiſcopus, quod etſi in Scripturis Sacris extat, ex odio tamen Catholicorum illi refugiunt.

ſtens, cum presbyteros aliquotiens ſecum manere vix compulſa ſineret, Epiſcopali auctoritate minime reg patiebatur. Hac itaque de cauſa 7. annis prius in eadem Presbyter eſt demoratus Parochia: vocatus tamen Epiſcopus & ſecundum quod poterat cuncta poteſtate Præſidentis ordinans. Percepta vero conſecratione Pontificali, cœpit in omnibus etiam devotus ſe agere, & virtutum ſtudia quæ prius exercuerat multiplicius augmentando cumulare.

CAPUT X.

Continentia eius & alia pia opera.

NAmque à primævis temporibus magnæ vir iſte fuit continentiæ, ac devote Domino Omnipotenti ab ineunte ſervivit ætate. Vinum & ſiceram, ac omne unde inebriari poteſt non bibit. Eſca autem ejus erat panis & mel, holera & poma. Namque ab eſu carnium, à lacte & piſcibus, temperabat. Niſi quod memoratus Apoſtolicus *Adrianus* ei jam in noviſſimo propter valitudines, k) quas in corpore tolerabat frequentes, quo piſcem comederet præcepit: Cujus auctoritati ipſe obtemperans, paululum in-

k) Illi voci, *valitudines*, quæ utramque valetudinem ſecundam & adverſam ſignificat aliquis præſcripſerat *in*, ut eſſet *invalitudines*; quo opus ob dicta non fuiſſet, ſive etiam valetudo, ſive valitudo dicatur, perinde eſt, malim tamen à valere valetudo dicere, nihilominus cum reliquis reliqui.

indulgentius in hac parte agere cœpit. Præterea nullus ferè dies transivit, quo non sacra Missarum solemnia cum magno fletu ac contritione cordis celebraret. Intentus erat jugiter lectioni atque meditationi sanctæ doctrinæ. Psalmodiæ quoque pariter studiosissimè invigilans, ita ut pene quotidie Psalterium aliquando etiam duo vel tria decantaret. His itaque & aliis bonorum operum exercitiis vir Dei suffultus, magnam populis in suimet ostentatione gratiam Domini prætendebat: Sicque doctrina ejus duplici præfulgebat oraculo, dum quod prædicabat ore, confirmabat exemplo. Pertransivit itaque in circuitu suæ Diœcesis vir iste Beatus, confirmans populum Christianum qui olim baptizatus fuerat & prædicationis verbo multorum ad viam salutis errantium corda compungens. Ædificavit * quoque Domum Dei miræ pulchritudinis *l*) in loco qui dicitur *Brema*, ubi &

*Templum Bremæ ædificatum, & Sedes Episcopalis ibi.

l) Illa ædes, quam ædificavit S. Willehadus in hodiernum usque diem salva stat: nisi quod à loci Magistratu Acatholico in Lupuli domum mutata est, ist zum Hopffen-Hauß gemacht/ & hac quoque jam voce dicitur; qualis domus antea fuerat inferius ambulacrum in ipsorum Curia quod etiamnum antiquum nomen apud plebem retinet. Fuit etiam ante ædem hanc inter illam & summam Basilicam, proxime stratum publicum, profundus puteus à Sancto Viro constructus; qui ab eo hucusq; *S. Willehadi fons* seu *puteus*, S. Willhades Sood oder Pütz/ appellatur, hic à multis creditus est, experimentis quoque compertus fe-

& Sedem esse constituit Episcopalem, ac dedicavit eam Calendis Novembris, die Dominico, in honorem Domini nostri Jesu Christi sub invocatione Sancti Petri Apostoli.

CAPUT XI.

Quomodo in Plexem ægrotaverit, & mortuus sit, Bremæ autem sepultus.

POsthæc vero cum studio piæ intentionis cunctam in circuitu perlustraret Parochiam, ac docens ea quæ Dei sunt plurimos in fide corroboraret: pervenit ad locum qui dicitur *Pleccateshem*, *m*) ibique consistens gravi cœpit corporis febre vexari, & de die in diem languor crescebat fortissimus, ita ut cum eo positi discipuli illius de vita ejus ulteriore jam desperare cœpissent. Quorum unus, qui Beato viro forte familiarius loqui solebat nomine *Egisrik*, accedens ad eum, quasi de obitu ejus trepidatione metuerent, ei lacrymabiliter ac questuose innotuit; intentans etiam plebis commissæ destitutionem admodum periculosam, quæ sub Pastoris regimine tunc tandem divino cultui parere

febres aliosque morbos aquæ suæ potione miraculose curare, quod famâ istic loci adhuc vulgatissimum est, & ego novi aliquem, qui ejus aquæ haustu liberaliore à vehementissima & tantum non lethali febre continuâ causticâ subito convaluit,

m) Nunc dicitur *Plexem*, quasi *Pleccensee*, & est ibi in Visurgi, infra Bremam & novum eorum portum Fegesak, secura navium statio.

rere videbantur. n) Noli, inquit, Veneranda Sacerdos, quos nuper Domino acquisisti, tam cito deserere: Noli populum vel Clerum tuo studio aggregatum tam mature relinquere, ne grex adhuc in fide tenellus luporum pateat morsibus devorandus: Noli nos humiles clientulos tuæ, Sanctitatis defraudare præsentiâ, ne videamur sicut oves non habentes pastorem errabundi vagari. Cui Beatus Vir in hæc compunctus verba respondit: Noli, ait, fili mi, me à Domini mei diutius avocare o) conspectu; noli mihi temporalis molestiam vitæ questuosis depromere vocibus: Nec hic longius vivere appeto, nec mori pertimesco; tantum Deum meum, quem toto corde semper dilexi, cui tota intentione servivi, precari volo, ut mercedem bonæ remunerationis, qualem ipsi placuerit, mihi pro laboribus meis clemens ac propitius conferre dignetur. Oves autem quas mihi credidit ipsi tuendas committo, quia & ipse si quid boni facere potui, illius potius virtute peregi: Non deerit ejus clementia, cujus misericordia omnis plena est terra. Pia ergo devotione vir Domini cœlò semper intentus, & orationis suæ ad Deum jugiter vota præmittens, VI. Idus Novembris

n) Aliquis illud n superius & inferius induxerat, tanquam abundans; sed videtur bene posse in plurali retineri cum Plebs Collectivum sit, aut sic: Quæ scilicet plebes, parere videbantur, habebat enim sub se plures, ut supra patuit.

o) Hic aliquis superscripserat syllabam *re*, qui legere maluit *revocare*: sed perinde est, retineo prius.

bris die Dominico, post solis ortum, Confessor Domini pretiosus in Christi requievit nomine. Cujus ad exsequias plebs undique devota accurrens, Patrem ac Doctorem Beatissimum cum laudibus & hymnis ad sedem devehunt Bremensem: Ibique eum in Basilica nova, quam ipse ædificaverat, *p)* cum honore & reverentia condigna sepulturæ tradiderunt.

CAPUT XII.

Miracula circa eum post mortem ejus, tam in sua quam altera, in quam translatus est, Basilicâ.

In quo loco multis & evidentibus persæpe demonstratum est signis, quod isdem Beatus vir

F

p) Hoc loco dicitur quod S. Willehadus sepultus sit in ea Basilica quam ipse ædificaverat, & postea translatus in alteram Basilicam temporibus successoris *Willerici* Episcopi. Adamus autem Bremensis Canonicus ait S. Ansgarium transtulisse Corpus S. Willehadi in matricem Ecclesiam B. Petri Apostoli ab illo Australi Oratorio, quod deportatum erat à Willerico, citante Baron. ad ann. Chr. 858. num. 16. vide etiam Grantz. Metropol. lib. 1. c. 41. Ipse S. Ansgarius ait in fin. miraculorum S, Willehadi: Se corpus S. Willehadi quod jam tunc à loco requietionis suæ in alteram translatum fuerat Basilicam, in nova quam tunc dedicabat collocasse Basilica. Hic sciendum, S Willehadum ædificasse ligneam Basilicam quam Willericus lapideam fecit, & ideo Corpus S. Willehadi in Australe illud Oratorium, quod fecerat, transtulit: unde S. Ansgarius illud retu[illegible]n Summam illam & lapideam

vir verè Domini sit miles electus. Quæ tamen incuria & negligentia prætermissa, non sunt alicubi descripta: licet non pauci extiterunt, qui se scisse faterentur, divinam in eodem loco sæpius apparuisse virtutem. Sed & in alteram postea translatus ipse Basilicam, temporibus successoris ipsius bonæ memoriæ *Willerici* Episcopi; cum inibi quam plura etiam per divinam dicatur operatus potentiam, non sunt ab aliquo recondita memoriæ, quæ multorum assertio veraci probat impleta miraculo. Non est tamen occultandum silentio, quod ad gloriam Beati viri divinitus patefactum hactenus in Bremensi conservatum manet Ecclesia. Siquidem * baculus hominis sancti, quem Episcopali more ipse gestare consveverat, post obitum ejus fidelium devotione in quadam fuerat arca repositus. Contigit autem domum in qua hæc eadem arca degebat, subitaneo flagrare incendio, & cum domo pariter etiam arca, cum omnibus quæ intus recondita fuerant, penitus est consumpta; sed baculum ipsum in nullo funditus ignis attingere potuit, verum in medio ignis ita est repertus incolumis, ut nec signum quidem ardoris in eo ullum apparuerit. Unde Deus Omnipotens in Sanctis suis vere est laudandus, qui in minimis etiam rebus meritum ipsorum suis declarat fidelibus.

deam Basilicam quæ hactenus indedicata fuerat, & ipse dedicavit. Vide Adamum Crantzium, Surium & Vitam S. Willehadi cap 21

* Miraculum in baculo S. Willehadi.

libus. Aliud quoque contigit, quod æque Beatum virum magni coram Domino fuisse meriti præmonstrat. Calicem * quippe ejus cum quo Sacrificium Domino offerre continuè solebat, in quodam loco reconditum Discipulorum ejus fidissima conservabat affectio: Ubi etiam cum ingestus ignis cuncta consumeret, ac si quid forte metalli fuerat opere fabricatum, calore liquefactum deflueret, ipse cum esset argenteus omnino integer est repertus. Et vere miranda in eo Domini potestas apparuit, ut qui vero igne divini amoris vivens accensus fuerat, in ejus reliquias post mortem ipsius terrenus ignis non valeret. Creatura enim Creatoris subjecta imperio, etiam vim naturæ perdit cum jussum dominantis attendit. Nec potest aliquid detrimenti quamvis natura dictante perficere, cum vis uniuscujusque naturæ in Creatoris pendeat omnipotentissima voluntate. Mansit autem in Episcopatu ** Beatus Willehadus electus Domini Pontifex annis duobus, mensibus tribus, diebus 26. & peracto boni certaminis cursu feliciter migravit ad Dominum: cui est honor, & gloria, & potestas, & imperium, per infinita Secula Seculorum Amen. *Explicit vita S. Willehadi Episcopi: Incipit de Miraculis ipsius.*

* Miraculum in calice S. Willehadi.
** Tempus Episcopatus ejus.

CAPUT XIII.

Præfatio S. Anſgarii in miracula S. Willehadi.

DOno Omnipotentis Dei, qui gratuita pietatis ſuæ præordinatione, quosque in Eccleſia ſancta Paſtores conſtituit ac Doctores,* *Anſgarius* Bremenſis Eccleſiæ Præſul, univerſis per orbem concordi fraternitate degenti fidelium ſocietati, pacem & beatitudinem in Chriſto orat ſempiternam.

Laudes Dei quas Sanctorum ejus acta miranda teſtantur, non debere ſilentio præteriri, multotiens jam exemplis Patrum addiſcimus; qui plurima eorum quæ Domini pietas per ſervos ſuos in hoc exercuit ſeculo, ſtudioſius literis commendavere. Quæ non ſolum viventium religioſam portenderent Sanctitatem, verum etiam perenni vita cum Chriſto regnantium immortalem præmonſtrarent gloriam. Revera enim qui hinc translati, q) adhuc tamen miraculis, & diverſarum ope virtutum hic populis adeſſe cernuntur, magnam nobis ſuæ glorificationis dignitatem oſtendunt, & quanti apud Deum ſint meriti, luce clarius fidelium patefa-

*S. Anſgarius Scriptor Vitæ S. Willehadi.

q) Ergo deſcribit hic S. Anſgarius illa potiſſimum S. Willehadi miracula, quæ poſt ejus obitum contigerunt, & quidem illa quæ poſt ſecundam ejus translationem, ab anno Chriſti 860. ut cap ſeq. 14. patet. Nam & quædam miracula ſtatim poſt mortem ejus contigiſſe ſupra cap. 12. auditum eſt.

tefaciunt cordibus. Sed & magnum Catholicæ in hoc fidei declaratur indicium, dum quod invisibiliter divina peragit sublimitas, ac si oculis conspiciat indubitanter cœlitus factum Christiana non diffidit credulitas. Et Sanctorum acta deputat meritis, quæ in eis fiunt locis, ubi sacratissimæ eorum conditæ & habentur & venerantur reliquiæ. Quia licet solus sit Omnipotens Deus Israel, qui dat virtutem & fortitudinem plebi suæ, tamen mirabilis ipse in Sanctis suis prædicatur & colitur; quorum precibus fit ac meritis, ut prodigia & signa Majestas operetur divina. Nec tamen solummodo ibi Sancti prodesse cernuntur, ubi temporaliter in cineribus suis ac reliquiis præsentes fore videntur: Verum ubicunque fideliter invocati per eum qui ubique præsens est potentia & majestate Creatoris meritum ipsorum remunerantis, in omni loco dominationis ejus fidelibus suffragari creduntur. Quod multis jam & evidentibus sæpius patefactum constat remediis: quia plurimi sive inter tempestates ac procellas fluctuum, seu inter alia quoque discrimina positi, ad invocationem cujuslibet Sancti subito se divinitus senserunt adjutos. Unde si qua Dominus per Sanctos suos miranda dignatus fuerit operari, jure ad notitiam plurimorum, ut posteris in memoria maneat spei, quod priores ob gratiam perceperunt fidei. Quapropter nostra quoque humilitas ea, quæ in diebus nostris per potentiam divinæ operationis ad ostendenda merita

F 3 Bea-

Beati Pontificis & Confessoris Willehadi patefacta claruerunt, literis indagare censuit; ut quæ in antiquis olim venerata jure prædicavimus Sanctis, nunc in temporibus nostris ab eo qui hujus nostræ, *Bremensis* videlicet Ecclesiæ, primus extitit Pontifex innovata, toto cordis gaudentes annisu, suscipiamus pariter ac collaudemus miracula. Non enim immemor Deus adhuc populi sui deseruit, quos redemit: verum inter innumera paganorum infestantium discrimina, omni pene solatio destitutis hanc supernæ visitationis voluit impendere gratiam, ut de divina multo certius præsumerent clementia, qui tantum tamque Deo acceptum Patronum, in spiritu velut & in corpore secum manere cognovissent, nec timerent, licet vastatam denuo inhabitare patriam, in qua sibi adesse Sanctissimi Patris non diffiderent merita, immo læti desertas repeterent sedes, quos licet hostilis incursio fecerit exules, bonis exuberantes divina rursus reconciliaverit benignitas. Nec desperent sibi præsidia Sancti in omnibus affutura, cujus virtutem tam multiplicem in sanandis variè vexatorum senserunt flagrare corporibus.

CAPUT XIV.

Tempus miraculorum S. Willehadi.

ANno itaq; incarnationis Dominicæ DCCC LX. *r)* Regni vero Domini nostri Serenissimi

r) Notatur tempus quo S. Willehadi miracula illa post mor-

ſimi Principis *HLudovici* XXVIII. Indictione VIII. in Eccleſia Bremenſi cœperunt divinitus agi miracula, & de die in diem ſemper multiplicius creſcere, ita ut jam longè latèque per populos rumor increbeſceret plurimus, vere divinam in eodem loco apparuiſſe gloriam, & merita Beati Willehadi in eadem Baſilica requieſcentis honorabili virtutum flore pullulare. Quæ cum per multorum ora volutarentur, & tam in præſentia noſtri, quam etiam abſentibus nobis, publicè multi ibidem ſanitatis adipiſcerentur commoda; decrevimus hæc eadem literis comprehenſa poſterorum tradere memoriæ: quo una nobiſcum Deum qui in Sanctis ſuis operatur, omnis fidelium natio gaviſa collaudet. Et ſicut præſentes per ſingula, quæ *s)* tunc forte miranda contigerint, in Domini laudibus tripudiando conclamant; ita etiam poſt futu-

 ra

tem ejus inceperint, annus Chriſti 860. Adamus autem Bremenſis loco prius citato ponit annum 861. Quæ quidem parum differunt, ſed cum reprehendat Baronius Crantzium, quod annum Conſecrationis S. Anſgarii in Archi-Epiſcopum teſte Adamo Bremenſi 862, produxerit uno anno in 863. & ex ea cauſa reprehendat, quia dicti Autoris (Adami) antiquitas præferatur, quâ ille ſibi fidem majorem conciliet; cur non & nos S Anſgarium tanquam Vitæ & Miraculorum S. Willehadi Autorem ob antiquitatem & αὐτοψίαν Adamo præferamus? Vid. Baron. ad ann. 832. num. 7. in fin.

s) Iſta vox *quæ* in poſteriore ſui parte raſa erat; fuerat enim *quæque*; & recte, ut textus & ſenſus oſtendunt.

ra religioſorum ſocietas, cœleſtem in Beato viro congratulans ammiretur potentiam. Abhinc igitur miraculorum geſta ordiri incipientes, primo tempus quoque ipſum, quo hæc agi cœperunt, inſinuamus, ſcilicet poſt Pentecoſten, Anno Nativitatis Domini ſupra dicto; poſt tranſitum vero Beati viri circiter annis evolutis 70. Qui tamen prius & in multis Deo dignus apparuit: quanquam hæc negligentia abolita non fuerint celebri pervulgata ſermone. Deinde & nomina eorum qui ſunt curati una cum valetudinis morbo; ſed & loca quoque in quibus vel progeniti vel converſati fuerant, partim prout res ſe habebat, interſerendo texuimus: quo & veritas miraculorum multiplicius atteſtata commendetur, & ſinguli ex propinquis vel vicinis ſuis ejus ſubſidio medicatis, quantam Beati viri præſenſerint gratiam, devotius recognoſcant.

CAPUT XV.

De quatuor in aliis poſt mortem eius factis miraculis.

IGitur fœmina quædam de *Osleveshuſun*, *Tida* nomine, per ſeptem annos cœcata, dum quodam Sabbatho dominam ſuam peteret, quo ad Eccleſiam procederent; Illaque reſponderet, ſibi tunc non licere, ſed in craſtinum manè die Dominico ſe ſimul ituras: illa ſtatim maturè diluculo ſurgens ſuam acceleravit præire dominam,

nam, atque ad Ecclesiam, quadam deducente se anicula, gressu properare veloci. Quo cum pervenisset, ibique orationi dedita solo prostrata incumberet, subito divini muneris dono lumen recepit amissum. Cumque post eam veniens domina ipsius Basilicæ penetraret intima; eamque ex ipsa loquela præsentem adesse cognosceret, repente ad illam occurrit gaudens, & dicens: Mea domina desideratissima, Gratias Deo Omnipotenti & laudes refero, quia meritis Beati Willehadi te oculis meis videre promerui. Quod factum illa ammirata, cunctis ibi astantibus confestim enarravit, & quod verè illuminata fuerit, multorum testimonio approbante patefecit. Sicque hæc virtus in populo ad clarificationem Dei publice manifestata est.

2. Rursus de pago *Emisga* fœmina quædam nomine *Wimod* novem annis cæcitatem perpessa, cum quodam die vespertino tempore ad Ecclesiam conveniret prædictam, ibi facta oratione post vesperas hospitium ubi erat mansura repeteret, subsequenti nocte ei quod ex amisso lumine salutis ibi esset remedium perceptura in visu est denunciatum. Cui rei ipsa ex voto utcunque credula Ecclesiam statim adire studuit, ibique merita Sancti toto invocans corde, divinâ adjuta gratiâ, luminis quod amiserat recepit officium. Quod etiam ad gloriam Dei multorum attestatione continuo patefactum claruit.

3. Poſthæc autem die Nativitatis S. Johannis Baptiſtæ in conventu populi maximo ſeptem languidi à diverſis ſunt infirmitatibus liberati. Quod quia per ſingula enarrare non neceſſarium duximus: duo tamen eorum, quæ peracta ſunt miraculorum ſingulatim perſtrinximus; quo ex his etiam cætera valeant intellectu perpendi. Nempe una ex ipſis fœmina quædam fuit ex villa in proximo ſita *Luidwinensbuſun* nomine *Simod*, quæ tribus aut eo amplius menſibus oculorum privata lumine, ibidem nutu Dei gratiam priſtinæ viſionis recepit. Altera quoque de villa ipſius loci, videlicet *Brema*, extitit, morbo contracta fœmina, quæ in infantia dum fortuito ignis aduſtione pede cremaretur, nullâ ſubveniente medicinâ articuli ſurſum verſi, pene ex toto pedem ei ſubverterant. Quæ multis annis eandem perpeſſa moleſtiam, præfato die cunctis adſtantibus pedis & articulorum extenſio ſanitatem promeruit.

4. Porro ex *Laris* de villa *Sluttra* vocabulo, quædam fœmina fuit per multos annos incurvata, quæ non aliter ambulare niſi manibus reptando poterat, nec omnia ſurſum reſpicere: ad poſtremum quoque ita morbo perurgente t) debilitata fuerat, ut non, niſi portaretur, aliquo devenire potuiſſet. Quæ etiam habebat filiam, quam ex ipſa infantia nativo lumine cœcitas

tas

t) Illud *n* in *perungente* aliquis radere cœperat, ut eſſet *perurgente*; & non male; eſt enim Scriptoria menda.

tas obscuraverat. Hanc *u)* itaque, audita miraculorum virtute, simul cum filia propinqui vel vicini ad januam Bremensis detulerunt Ecclesiæ. Quæ inibi posita, cum fide aliorum subvecta advenisset, miseratione divina & de filiæ illuminatione gaudere promeruit & semetipsam gestans ac sursum erecta, propriis gressibus notas repedavit ad sedes.

CAPUT XVI.

Alia quinque Sancti Willehadi Miracula.

5.

Item ex *Laris* de villa *Falathorp*, duæ fœminæ, una contracta, & altera orba, cum ad eundem locum deductæ fuissent, divini muneris largitate incolumes ad propria sunt reversæ.

6. Ex pago quoque supradicto de villa *Bokkenhusun*, quidam adolescens multo jam tempore paralyticus ad eundem locum deductus, divino nutu incolumitati pristinæ redditus, ad propria rediit sanus.

7. Cæterum de pago *Ostarburge* ex villa nomine *Baldrikeswich* quædam fœmina, vocabulo *Adsuit*, paralysi valde graviter & diu vexata, cum quadam die Dominica eo adducta fuisset, & multi in eadem die, septem videlicet & octo ex diversis curati fuissent languoribus, ac post Missæ

u) illam vocem *Hanc*, quidam raserat, ut esset *Hac* scilicet auditâ miraculorum virtute: sed minus recte, ut ipsa loci inspectio demonstrat.

ſæ celebrationem hoc idem populo denunciaretur, & pro exhibitis miraculis tam Clerus quam & populus laudes Deo debitas modulatis decantaret vocibus, ſubito ipſa è medio populi ſurgens, ad gradus Altaris, ubi alii ægroti ſanati jacebant, cœpit accurrere. Quæ cum à circumſtantibus ne in Chorum Clericorum canentium forte proſiliret, retineri conaretur, ipſa, quod ſibi præceptum fuerit quo ante Altare cum aliis ſe ſe collocaret, menti alacri fatebatur. Viſum namque ei fuerat, quod Sacerdos qui de aliorum ſanitate populo annunciaverat, ei quoque ut ſurgens cum cæteris ad Altare procederet manu annuerit. Cujus requiſita infirmitate ac ſanitate patefacta, omnes ad laudandam Omnipotentiæ divinæ majeſtatem atque extollenda Beatiſſimi viri merita tanto inſtantius, quanto & iterata virtute optabilius corde compuncti lacrymisque præ gaudio obortis denuo alacres perſonuerunt.

8. Deinde ex *Waldſatis* quædam fuit fœmina de villa *Willianſtedi*, nomine *Ikkia*, quæ ſeptem annis viſus fuerat cœcitatem perpeſſa, cui cum de præfato loco ſigna miraculorum jam fama vulgante ubique percrebeſcerent, quædam vicina ſua exhortans dixit? Quare non & tu Sanctum Dei exquirere conaris, ut tibi quoque lux oculorum patefacta clareſcat? Illa autem ſe libentiſſime ita velle reſpondit, verum hoc tantum ſuo repugnare deſiderio, quia non haberet ductorem. Cui illa denuo ſubjunxit: Ecce! ſi ali-

alium non habes, ego te quomodocunque potero illuc deducam. Cujus illa promiſſum, quia aliud ſibi neſciebat refugium, gratantiſſime accepit. Erant autem ambæ pauperculæ: arrepto itaque itinere ipſæ duæ tantummodo Domini ſecum comitante gratiâ, ad præfatum tandem pervenerunt Sanctuarium. Ubi cum devote precibus inſiſterent, illa quæ cœca fuerat ſubito illuminatur; Et converſa ad ſociam ſuam ſubridens atque congratulans dixit: O quam bene quam bene mihi tuum contigit audiſſe conſilium ut Sanctum Dei perquirerem, ecce, una tecum lumen cœli video? Hoc itaque factum ſtatim publice prædicatum, magnam populis divinæ miſerationis ſpem dedit: quoniam ſecundum Pſalmiſtæ dictum.* Illi derelictus eſt pauper. Ideoq; & ipſe refugium eſt pauperum in tribulatione, pupillo quoque & orphano ipſe promptus ſemper erit adjutor. Recepto itaque luminis viſu, ipſa jam non ſociâ ducente, ſed pariter comitante, ad ſuum ſana rediit tugurium, Domini laudes ſemper cantando & comparis ſuæ ſalutaria monita, gratias jugiter referendo extollens.

9. De pago autem eodem quædam fœmina æque *Ikkia* vocata fuerat, quæ per multa annorũ curricula à cingulo usque deorſum paralyſi ita contracta extitit, ut de membris ipſis nihil penitus ſentiret, nec quoquam ire niſi cum ſcabello ſeſe trahendo poſſet, Quæ ad ſanctum perveni-

* Pſalm. X, 14.

veniens locum, Domini miſeratione viribus reparatis ſuis ſe pedibus quo voluit ipſa ſubvexit.

CAPUT XVII.

Alia ſex S. Willehadi miracula.

10.

Quidam vero homo indigena, cauſa paupertatis circumeundo ſtipendia quærens, ad BaſilicamSancti dudum convenerat *Alexandri*, w) qui habebat filiaſtram ſecum circumeuntem cœcam, & ipſe quoque duplici pœna multo tempore orbitatem ſuſtinens: ubi cum morarentur, contigit meritis Sancti prædictam filiaſtram ipſius unius oculi viſionem percipere. Quo dono exhilarati, ulteriora progredientes, ad Oratorium pervenerunt Bremenſe: Ubi in oratione poſiti Beati Willehadi interceſſione multiplici ſunt fœnore ditati. Nam & ipſe amborum viſionem percepit oculorum, & filiaſtra ipſius alterius quoque illuminatione eſt gaviſa. Quod cum fidelium qui affuerant denunciaretur

w) Confirmatur quod Baronius ad ann. Chriſti 858. num, 16. ex Adamo Bremenſi citat: *Si temporum*, inquit, *ſeriem diligenter computemus*, *ipſum eſt tempus, quo in Saxoniam translatio S. Alexandri contigit.* Ipſum ſcilicet tempus, quando poſt translationem Corporis S. willehadi in ſummam Baſilicam miracula frequentia fieri incipiebant, inter quæ & hujus S. Alexandri mentio eſt. Quis autem hic S. Alexander fuerit, unde, a quo, quo & cujus auctoritate translatus ſit vid. Baron ad ann. Chr. 855. num. 28.

tur teſtimonio, plebs omnis exultando laudem dedit Deo.

11. Præterea ex pago *Nordwidu* quidam homo ad limina memorati Martyris olim transierat *Alexandri*; qui mutus ſimul & ſurdus diutino labore ab infantia miſerabili potiebatur vexatione. Meritis præfati Martyris auditum percepit. Ultra *x)* vero tendens, & ad Baſilicam Bremenſis Eccleſiæ perveniens, divinæ largitatis clementiâ loqui pariter & audire Beato Willehado interpellante promeruit.

12. Item ex *Laris* de villa *Otisbuſun*, cujusdam *Friderberni* filia omnibus membris diutino fuerat contracta languore: quæ ad prædictam deducta Baſilicam per dies ſeptem graviſſimam in corpore moleſtiam pertulit, ita ut jam pene exanimis præ doloris crederetur magnitudine. Sed tandem divina annuente clementia levius agi cœpit, & ad priſtinum reparata officium meritis Sancti incolumitatem recepit. Quæ paternam reviſens domum, omnibus ſana membris, parentibus ac vicinis feſtivum plane exhibuit gaudium.

13. De *Steornigis* quoque ex villa *Gandrikeſard* quædam fœmina *Herimod* nomine duobus annis ſurda extiterat: quæ ad prædictum deveniens

x) Ultro ſcriptum erat, ſed debet eſſe *ultra*: Ultro enim cauſandi Adverbium eſt, & ſignificat quod non extraneo ſed interno principio ſpontaneè movetur; Ultra vero Adverbium eſt loci, & ſignificat porro, ex hoc loco in alium tendens, ut hic.

niens locum, intercessione Sancti audiendo redire meruit.

14. Item de *Laris* de villa *Falatborpe* duæ illuc advenerant fœminæ, una incurvata nomine *Hathaburg*, & altera orba nomine *Macswid*: quæ divinum ibi flagitantes præsidium, ambæ cum sanitatis gaudio proprias sedes lætabundæ repetierunt.

15. Porro de *Wege* villa publica, quædam puella multo tempore omnibus infirmata membris nihil omnino virium in proprio retinebat corpore: Ad confessionem itaque deducta Sancti, divinæ largitatis munificentia & virium possibilitatem, & totius corporis recepit sanitatem.

CAPUT XVIII.

Alia septem S. Willehadi miracula.

16.

Cæterum de *Sturmi* ex villa *Ekina*, quædam fœmina vocabulo *Gerswid*, cœcitatem multo tempore passa, in eodem loco posita, lumine est privato donata.

17. Similiter quoque de *Stentborpe* pagi quædam fœmina diutius cœca, dum orationi decumberet, auxiliante Beato viro luminis est curata remedio.

18. Deinde ex *Fresia* de villa *Westanko* vir quidam cœcus *Meinradus*, eo adveniens, superna illustratus gratia luminis recepit officium.

19. De *Laris* ex villa *Habtboreinmod* nomine, novem

novem annis cœcata Sanctissimi viri precibus longe optatam ibi recipere visionis promeruit gratiam.

20. De *Wigmodis* autem de villa *Midlistan fadarvurd*, quidam homo manu multis admodum contractus annis ibidem Domino tribuente incolumis est redditus.

21. Item de *Wigmodis* ex villa *Westrifranbeverigisati* fœmina *Thiadgardis* nomine diu cœca ibidem est illuminata.

22. De *Sturmi* vero ex villa *Ekynon*, *Akko* quidam vocabulo, jam quodam in brachio vulneratus fuerat. Cui cum nulla subveniret medicina, armum ad omnia opera multis annis inertem habuit. Qui illo veniens & dierum suorum ociosam consumptionem deplorans, auxiliumque Beati viri expostulans, supernâ donante gratiâ, cum diu dolore brachii torqueretur, tandem sanatus porrectam extendit dexteram. Pro cujus incolumitate cum omnes Deo gratias retulissent, ille domum reversus, fiduciâ jam suæ sanitatis ammonitus, & de Dei misericordia certissime confisus, uxorem suam quæ multo jam tempore in cœcitate permanserat, secum ipse ad eandem reduxit Ecclesiam. Ubi cum pro concesso remedio vir fide corroboratus mulieri beneficium, & mulier quoque viri sui doctrinis ammonita Dominum sibi inhianter posceret adesse propitium, cœlitus inspirato lumine subito mulier clare cœpit cuncta videre. Quod statim in populo declaratum magna fidei tribuit in-

incitamenta, & cunctorum animos ad credulitatem divinæ confirmavit potentiæ. Cumque pro eorum salute Clerus ac populus personaret, ipsi ad propria gaudentes reversi, tanto alacrius atque studiosius labori insistere cœperunt, quanto se meminerunt otiose vacantes dies multos antea perdidisse.

CAPUT XIX.

Alia quinque S. Willehadi miracula.

23.

DE *Laris* quoque concepta jam dudum divina creverunt miracula. Nam quidam *Rhoudwig* ex villa *Stenbike*, tribus annis mutus cum inibi positus auxilium Beati viri imploraret tacitus, divinâ miserante gratia aperto ore subito Domini cœpit enarrare magnalia.

24. Item de villa *Rehtereflet*, quædam fœmina multis fuerat annis morbo ita contracta, ut nec in lecto se in alteram partem absque adjutorio posset movere, nec ullius membri aliqua prorsus commoditate potiretur. Quam cum amici fide excitati ad confessionem deveherent Sancti, ibique in medio posita grabato, ac si feretro tanquam præmortua decubaret, subito sana prosiluit è lecto, & prorumpens in medium laudes concinebat Domino. Nec jam curans grabati præsidia, in pace dimissa viam quâ advecta fuerat propriis gressibus ambulabat intrepida.

25. Por-

25. Porro de villa *Bouchem* ex pago *Lobingao* quædam fœmina *Siberin* vocata cum infirmitate cogente omnibus esset membris invalida, ita ut nihil ei jurium in proprio esset corpore, meritis Beati viri ibidem sanitatem adepta est integerrimam.

26. Rursus de *Laris* ex villa *Eggrikenhusun*, quædam fœmina ab infantia ita extiterat manca, ut nulli unquam usui aptari altera fuerit manus: quæ cum in sancto posita loco auxilium divinæ miserationis corde posceret intimo; subito sana manibus plaudens utrisque jubilationem Deo in voce reddebat exultationis.

27. Sed & de *Liastmona* quædam fuerat ancilla venerandi Comitis *Hirimanni*, quam ipse causa operis textrini in domo suo *Hethas* cum aliis ancillis esse præceperat: quo cum ibidem posita dominico inesset servitio, occulto quidem, sed recto Dei judicio alias sana, loquelæ tantum est amissione damnata. Qua cum diutius molestia premeretur, nec aliquid prorsus loquendo resonare valeret, prædictus Comes miseratione Domini compunctus libertatem ei pro animæ suæ tribuit remedio; sicque inde dimissam ad propria redire permisit liberam. Deducta igitur à Comitibus ad Bremam pervenit, statimque Ecclesiam adire devotâ, ut creditur, intentione curavit. Namque rerum effectu claruit, quid ipsa fideli mente tractaverit. Properans quippe ad fores Ecclesiæ, statim misericordiam Domini sibi obviam sensit. Nam in

ipso introitu Basilicæ, cum ingrederetur fores atrii impedimento linguæ repente resoluto, altius exclamare ac laudes canere Deo cœpit. Cujus cum causam coram positi requirerent, quæ gesta fuerant, planè ac dilucide enarravit. Sicque hæc virtus aliorum etiam testimonio in populo declarata Beati viri merita cumulavit eximia. Quæ inde ad paternam se transferens domum, cum ipsa hilaris ac iret læta, sanitate simul ac libertate donata parentes quoque ac propinquos ex suo fecit adventu ac prosperitate gaudere.

CAPUT XX.

Alia septem S. Willehadi miracula.

28.

ITem de *Bremis* puella quædam nomine *Wige*, diu muta & omnibus quoque membris contracta, ita ut non aliquo nisi ab aliis delata sese transferre posset, in eodem loco meritis Beati viri & loquelæ usum, & membrorum omnium recepit officium.

29. Posthæc etiam de *Upriustri* quædam fœmina ex dextra parte à tempore nativitatis manca, nomine *Tetbileis*, Domino auxiliante ibidem est sanata.

30. De *Wigmodis* autem ex villa *Medemahem*, fœmina quædam *Ida* vocabulo, novem annis cœcitatem passa, ibidem Domini gratia oculorum donata est luciflua claritate.

31. Cæterum de *Riustri* ex villa *Smalonflet*, quæ-

quædam fœmina *Dislith* nominata, per undecim menses uno oculo cœcata, illo adveniens Beati viri meritis amborum se gavisa est potitam lumine.

32. Ex villa quoque *Tadinghem* quædam fœmina *Egilmare* vocata, quatuor annis paralytica, eadem à parentibus in carruca adducta, adjuvante supernâ gratiâ propriis gressibus gaudens remeavit ad propria.

33. Denique ex loco *Citirothe* nuncupato, quædam fœmina anno uno ac dimidio luminibus oculorum orbata, exorante; Beato viro, ibidem sanitatem recepit illuminata.

34. Porro de *Liastmona* quædam fœmina *Rotgardis* vocata, multis jam annis uno pede clauda, cum duobus baculis præfatam adiens Basilicam, gressu amissi pedis sibi reddito, sensit Beati viri verè divinitus concessam in eodem loco flagrare virtutem.

CAPUT XXI.

Conclusio miraculorum S. Willehadi.

FUerunt præterea multi causa recuperandæ salutis ad eundem locum properantes meritis Beatissimi Pontificis in via sanati. Quorum aliorum relatione innotuit sanitas: quia nequaquàm ipsi, ut cœperant, locum sanctum expetere curaverunt, verum magis sanitate donati, ex itinere redeuntes ad propria festini cum

gaudio sunt reversi, Dominum & Beatum Willehadum magnificis laudibus prædicantes.

Verum nos, ne prolixior narratio onerosa fiat legentibus, hæc & alia multa intermisimus, quæ tamen plurimorum ore vulgata in populis habentur. Corpus* autem ipsius Sancti, quod jam tunc à loco requietionis suæ in alteram translatum fuerat Basilicam, nos cum maxima fidelium turma ac Cleri innumerabilis conventu, exinde sublatum feretroque impositum magnis populorum vocibus in laudem Dei ac beati viri concrepantibus die depositionis illius, in nova quam tunc dedicavimus, collocavimus Basilica: Ubi honorificè compositum magnificè postmodum atque innumeris claruit virtutum indiciis; & de die in diem meritis Beati viri multiplicia inibi crescunt miraculorum signa. Agitur autem dies depositionis ejus simul & translatio corporis VI. Idus Novembris, ad laudem & gloriam Nominis nostri Domini Jesu Christi, qui cum Patre & Spiritu Sancto unus & verus Deus, vivit & dominatur per immortalia secula seculorum, Amen.

* Corpus S. Willehadi, secundo translatum in secundam Basilicam.

VITA

Incipiunt

CAPITULA IN VITAM BEATISSIMI S. ANSGARII,

Hammenburgensis seu Bremensis Archi-Episcopi & Confessoris: In Christi nomine, Amen.

XVIII.

Incipit VITA SANCTI ANSCHARII EPISCOPI.

SALUTATIO.

DOminis * Sanctissimis & in Christi amore præcipua veneratione recolendis ac diligen-

* (Ita legendum mihi videtur, etsi Philippus Cæsar atque ex

gendis Patribus & Fratribus in sacratissimo Corbejæ Cœnobio Deo militantibus, Filii atque Discipuli Reverendissimi Patris Ansgarii perennem felicitatis orant in Domino Dominantium pacem & Salutem. (*Sequitur deinde in Triapostolatu Philippi Cæsaris pag. 43.-125. Vita ipsa S. Anscharii, quam hoc loco repetere nolui, quia non modo emendatior edita est à Io. Bollando T. 1. Act. Sanctorum Februarii p. 408. seq. sed etiam à Lambecio ad calcem libri I. de rebus Hamburgensibus, quem non ita pridem in hac urbe recudi curavi. Lambecius, qui alio MSto Codice usus est, etiam Varias lectiones editionis Coloniensis, quam Philippo Cæsari debemus, annotavit. Cæterum notas illius non adjunxit, quas hoc loco, ne quid desiderares, subjicere volui.*)

S. Ansgarius obiit anno Domini octingentesimo sexagesimo quinto, anno autem ætatis suæ sexagesimo quarto. Nam triginta annorum erat, quando consecrabatur in Archi-Episcopum Hamburgensis Ecclesiæ, cui ante unionem præfuit sedecim annis. Post hæc Civitas Hamburgensis fuit à Barbaris depopulata, & Dominus Archi-Episcopus expulsus. Deinde Ecclesia Hamburgensis & Bremensis fuerunt unitæ: post hanc unionem Dominus Archi-Episcopus vixit octodecim annis. *Hæc sunt verba Alberti Crantzii Me-*

ex eo Bollandus ediderunt *Dominus*, & à Lambecio hoc vocabulum plane est omissum. Recte porro idem Cæsar annotavit, hujus Scripti Auctorem esse *Rimbertum*, S. Anscharii discipulum & in Archi-Episcopatu successorem, idque constare ex ejus Vita, cap. 9. infra.)

Metropoleos lib. 1. c. 42. circa fin. Sedit in universum Ansgarius in Episcopatu annis 34. Nam primis annis septem Hamburgi Sedem habuit, annis vero novem in Ramsola, deinde translatus Bremam duodecim annos peregit, ante impetratam Romæ plenariam Ecclesiarum unionem. Novissime ad annum usque septimum post illam.

NOTÆ VERBALES
IN VITAM S. ANSGARII.

IN descriptione Capitulorum Vitæ S. Ansgarii, cum ad numerum Capituli septimi deventum esset, error à scriptore in numero commissus erat, qui pro septenario senarium repetierat, necessarioque corrigendus erat, quia in ipsa re nihil immutat, & totius macula libri fuisset.

In Præfatione §. Inter. *Sentimus* quid *amiserimus &* quid *dolere debeamus: pro* quod, *recte me scripsisse puto.*

In Præfat. Vitæ S. Ansgarii est hic §. Nos itaque inter formidolosa pericula suspirantes licet multiplicia mala temporaliter timeamus, divinum tamen adjutorium nobis licet indignis non defuturum credimus. *Verba sunt Filiorum & Discipulorum S. Ansgarii querelas super ejus morte fundentium ad Patres & Fratres Corbejenses, unde S. Ansgarium acceperant. Hunc §. aliquis sua manu sic correxerat:* Nos itaque inter hæc formidolosa pericula suspirantes licet multiplicia mala temporaliter teneamus, ad divinum tamen nobis subsidium re-

recurrendum ſcimus, & miſericordiem ejus nobis licet indignis non defuturam credimus. *Quod annotare volui, ſi forte hic Codex Copia ſit alicujus prioris Autographi in quo ſic habeatur. Quod tamen non exiſtimo, propter plura talia, quæ diverſis manibus à Lectoribus pro ſuo cujusque arbitrio ſic adſcripta poſtea ſequentur. Et hic emendator videtur phraſin corrigere voluiſſe; quæ tamen pro temporum iſtorum ratione & adhuc ſatis bona eſt: quis enim illud;* divinum nobis adjutorium non defuturum credimus, *etiamnum rprehendat? Meo igitur judicio iſtum textum hujus primi ſcriptoris retinendum cenſeo: præſertim cum ille ab annotatione hac nihil diverſum contineat. Totum nam eſt querela de S. Anſgarii morte: hæc ſunt illa mala, quæ eos premunt, & quæ deflent; quibus addi poſſunt, & illa, quæ ipſorum ovile deſtitutum paſtore invadere poſſent.*

Cap. I. in fin. Humana ſubripiente fragilitate. *Aliquis in margine adſcripſerat,* ſurrepente, *quod commodius videtur, ego ſcripſi,* ſubrepente.

Cap. II. §. Sicquid. *Ubi de Anſgario adhuc puero ſcriptum eſt:* Omni poſtpoſita levitate compunctionis divinæ cœpit amore langueſcere: *aliquis pro,* conpunctionis, *in margine adſcripſerat,* conſolationis; *ſed prius illud rectius eſt, quia B. Mater Domini, ut eſt in præcedente capite, eum compunxerat potius, quam conſolata erat, dehortans nempe à vanitate hujus mundi. Et poſtea cap. 4. in fin. hæc vox* Compunctionis *expreſſe circa eandem materiam habetur.*

Cap.

Cap. IV. §. Circa. *In his verbis*: Circa ſedentes (*ſcilicet viginti quatuor Seniores*) ſplendor ſimilis arcui nubium tenebatur: *aliquis illud* tenebatur, *correxerat & fecerat* tendebatur. *Ego exiſtimo illud*, tenebatur *retinendum eſſe, quia in primo textu eſt, & nihil incommodi habet. Etſi enim ſplendor ille inſtar iridis circa ſedentes*, tendi, *poſſit dici; commode tamen etiam*, teneri, *hoc eſt conſiſtere & eſſe dici poteſt.*

Cap. VI. in princ. Herioldus Rex Danorum. *Quidam* Arioldum, *quidam* Arialdum *ſcribunt: cum hoc S. Anſgarius primum in Daniam venit, tanquam ejus moderator & ſacrorum miniſter. Vid. Baron. ad ann. Chr. 826. num. 36. ubi plura. Jo. Adolph Cypræus in Annalibus Epiſcoporum Sleſvicenſium cap. 1. eum* Haraldum *vocat: à quo prima ſemina Chriſtianæ Religionis in Dania & Septentrione jacta ſunt; qui tamen poſtea teſte Saxone apoſtata factus eſt. Aliter etiam* Klagus *dicitur.*

Cap. VI. §. Qui ſperans. *Pro* ſperans *forte legendum eſt*, ſuſpicans. *Reliqui tamen illud*, ſperans: *cum & Poeta dixerit*; Tantum ſperare dolorem, *pro expectare ſeu timere.*

Cap. VI. §. Erat autem *& cap. VII. §.* Cum itaque. *Frater Monaſterii Corbejenſis qui primus cum S. Anſgario in Daniam ivit nomine* Audbertus, *in textu fere ſemper ſcribitur* Authbertus, *qui in recenſione Capitum ſupra* Audbertns *ſcriptus erat: quæ poſtrema ſcriptio cum melior videatur, quaſi ſit* Audebertus, *aut pronunciatione Belgica* Aldebertus, *à me reten-*

retenta est. Gauthbertum *autem cap. XII. & seqq. ita per* th *semper retinui dictum quasi* Goldbart.

Cap. X. §. Cum gravi. *Rex Sueciæ qui hic* Bern *appellatur alias etiam* Biornius *dicitur: quod idem nomen est jam Germanicam, jam Latinam nomenclaturam sapiens. Vid. Cypræum cap. I. Annal. Episcop. Slesvicens. pag. 11. Eidem ibidem* Herigarius *noster* Hirtgerius *dicitur.*

Cap XI. in fin. Quidam in margine adscripserat, hic: *quam voculam, ut impertinentem in textum intrudere nolui. Forte liber cum ab hoc notatore legeretur in Iburholt fuit.*

Cap. XVII. §. Ipse est. *De Christo Domino, qui fœminæ bona sua pauperibus in Eleemosynam eroganti, domi omnia restituerat, sic scriptum est:* Ipse est omnibus sufficiens, omnibus indiget. *Si hic in voce* omnibus indiget, *non est menda scriptoria, pro* nullius indiget; *sic accipiendum videtur: ipse in persona pauperum suorum indiget, juxta illud:* Quod vel quantum ἐφ' ὅσον fecistis uni de his Fratribus meis minimis, mihi fecistis, *Matth. 25, 40. Et istam beneficentiam Christus non in futuro tantum, sed in hoc etiam seculo largiter compensaturus est; quod sic promisit:* Omnis qui reliquerit domum - - - aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit, *Matth. 19, 29. Quod Exemplum viduæ Sareptanæ nobis comprobat, quæ pugillum farinæ & paullulum olei, de quo ultimo cum filio suo comedere & deinde mori volebat, Prophetæ Eliæ esurienti & petenti impendit, & juxta verbum Domini*

non

non defecit ei farina & oleum, usq; dum annonæ caritas desineret, & pluviam Deus daret, 3.Reg. 17, 12.

Cap. XIX. circa princ. *Aliquis ad ea verba,* unde ei solatium facere posset, *adscripserat,* subsistendi: *sed illa vox interpretationis tantum est, non textus.* *Adscripserat ille idem in margine ad proxime sequentia verba:* Quo Legationis suæ mandata melius adimplere posset, *hæc verba;* Et quia in hac Provincia Cellam nullam habebat huic Legationi congruam: *quod etiam ad textum non pertinet, & à me omissum est.* *Solatium autem hic non tantum subsistendi, sed generaliter quodvis intelligi, facile ex ipsis his verbis videas:* Quo Legationis suæ mandata melius adimplere posset: *quæ non tantum subsistendi locum, sed quodvis aliud subsidium significant.* *Atque ita supra cap. XI. in fin. duæ assignantur causæ cur S. Ansgario ab Imperatore Ludowico* Cella Thurholt *data sit: primo propter barbarorum sævitiam, ut refugii locum haberet, secundo propter parvitatem Diœceseos Hamburgensis, quæ ei sumptus necessarios suppeditare nequibat.*

Cap. XIX. in princ. Ludovicus *Imperator ille, qui Bremensem Episcopatum S. Ansgario in solatium adjecit, dicitur* Senior; *cum in rubrica superius* Junior *dictus, & revera patre suo Ludovico junior esset. Quid hic sentiam? Puto eum esse ætate juniorem, utpote antecessoris sui patris Ludovici filium successorem: sed Seniorem dici honorifice honoris titulo; ideo non dicitur, Senior Ludovicus, hoc enim stare non posset, sed Dominus & Senior noster, hoc est noster Antecessor & Princeps.*

Cap.

Cap. XXII. §. Audite Insulæ. *Aliquis super* me, meæ *&* mei, *scripserat* te, tuæ, tui, *respiciens sine dubio ad sequentia, in quibus ita est. Sed te, pie Lector, Pronominis hæc variatio movere non debet: primum enim;* Dominus ab utero vocavit me; *B. Adalbardus de se dicit: posterius autem* Et posuit os tuum quasi gladium *de S. Ansgario. Quod autem subjungitur; verbum hoc,* Audite Insulæ *ad S. Ansgarium dictum esse; hoc verum est, sed ita ut Beatus Adalbardus illud quidem ad S. Ansgarium dixerit, sed de se loquens qui voluntatem Dei de his Insulis ei aperiat.*

Cap. XXIII. §. Advenientes. *Illud,* & qui cum eo erant, *ego adjeci, ob vocem,* Advenientes *quam corrigere nolui; quia postea vidi, & alios cum eo venisse, non ipsum fuisse solum.*

Cap. XXIV. §. Quare ergo. *Post illud,* suscipiebant, *aliquis scripserat hæc verba:* Nam multæ interjacent insidiæ, & piratarum infestatione periculosum valde nobis iter illud factum est, *quæ nolui textui interserere, sed de eis hic potius monere.*

Cap. XXV. §. 1. Post illud, quicunque vellet, *aliquis interserendum censuit hoc;* sine contentione, *quod etiam moneo. Ibid §. Cui. Post* alterum, *adjecit quidam,* cum domo.

Cap. XXVII. §. Cum jam. *Post,* corde, *aliquis adscripserat,* expavescens: *quod mihi videtur omitti posse, quomodo à primo scriptore omissum est. Ibidem §.* Ecce naves. *Post,* delebunt, *quidam adscripserat;* Quæ ergo nobis erit spes? *quod abundare judico. Ibid. §.* Nobis, *Post,* Danorum, *quidam addiderat,*

H præ-

præterito anno: *quod mihi omittendum videtur, cum non constet an eodem anno factum sit.*

Cap. XXX. §. Studebat. *Aliquis hic adscripserat*: ipse sibi in oculis suis; & videbatur quia taliter abstineret, *de quo monere volui. Ego textum retinui.*

NOTÆ REALES
IN VITAM S. ANSGARII.

De hactenus desiderata Vita S. Ansgarii, sic benevolus Lector habeat. Trium horum Sanctissimorum Episcoporum Willehadi, Ansgarii & Rimberti Vita olim non ut hic in nostro Hamburgensi Codice conjunctim, sed separatim extiterunt. Unde factum ut extantibus S. Willehadi & S. Rimberti vitis, ex quibus Haræus, Lippeloo, Menardus, Vastovius verbotenus omnia desumserunt, quæ de eis tradiderunt, S. Ansgarii Vita etiam à diligentissimis veteris historiæ inquisitoribus putata sit amissa, quandoquidem in ipsorum manus venire non potuit, nec de ipso aliud scripserunt, quam quod ex Vita S. Rimberti ejus Discipuli & successoris, Adamo Bremensi, aliisque Saxonicis Scriptoribus Crantzio & Surio carptim excerpere potuerunt. Et hoc Cæsari etiam Baronio accidit, qui non semel de hac jactura conqueritur. Ad ann. Chr. 826. num. 37. sic de hac rescribit: Res gestas S. Ansgarii scriptis mandatas esse à S. Rimberto ejus discipulo & in Ecclesia Successore, auctor, qui res ipsius S. Rimberti conscripsit testatur: sed quod sciamus non extant; pauca vero tantũ de eo in vita ejusdem S. Rimberti scripta reperiuntur, nec non apud eos, qui sunt profe-

seqvuti res Saxonum. Iterum *ad ann. Chr. 858. num. 15. sic de eadem re habet*: Res præclarè gestas Ansgarii scriptis mandavit æquè Sanctus ejus successor Rimbertus, qui de Vita ejus librum conscripsit, sed magna jactura perditum querimur. Ex eo tantum illa nobis sunt nota, quæ idem qui supra Adam suo Chronico intexuit &c. *Revera tamen non fuisse perditum, sed adhuc alicubi latitasse, diligens Annalium Episcopor. Slesvicens. scriptor* Paulus Cypræus, *qui anno fortè 1609. obiit, vir summus, cap 22. libri sui satis demonstrat: ubi ex hujus S. Ansgarii Vitæ Præfatione bonam particulam iisdem ferè verbis quæ Codex noster Hamburgensis habet, paulum tamen alicubi mutatis, citat; quem librum filius ejus Johannes Adolphus Cypræus, postea Catholicus factus, Coloniæ vulgavit anno 1634. Hunc igitur Vitæ S. Ansgarii librum à S. Rimberto conscriptum, cum unà cum S. S. Willehadi & Rimberti Vitis conjunctim per fideles manus ad meas manus acciperem, non potui, nec debui aliter, quam eum pro horum Sanctorum, præsertim Ansgarii, qui inter eos eminet, & cujus ego panes aliquot annis edi, honore & publica Ecclesiæ utilitate, in lucem edere. Si qui fortè per Dei gratiam Reges, Principes, Episcopi, Canonicatus, Magistratus saltemve privati homines,* memores esse velint, unde exciderint, pœnitentiam agere, & prima opera facere; si super vias stare, & videre, & interrogare de semitis antiquis, quæ sit via bona & ambulare in ea vicissim cupiant, ut inveniant refrigerium animabus suis, nec de se dici patiantur: Non ambulabimus, Non audiemus, Apoc. 2, 5. Jerem.

rem. 6, 16. *Quin enim per hos Sanctissimos viros eadem Catholica fides & religio, quæ adhuc viget, autoritate & legatione Apostolicâ Romanorum Pontificum, ipsorum majoribus olim tot laboribus, periculis, & miraculis tradita, ab his avidè excepta, & per tot secula exculta sit, in dubium vocare nemo potest, sed nec ipsi jam vocant: & frivola vox est dicere, istos Apostolos suos, suosq; majores errorem errasse maximum, Antichristum & ejus doctrinam prædicasse & suscepisse, cum se Christum ejusque doctrinam prædicare & suscipere putarent.* Noli popule mi, sic loquentes audire.

Cap. I. §. Referebat. *Quoniam hic matris & patris S. Ansgarii & cap. VI. etiam propinquorum, Fratris quoq; Audberti nobilis prosapiæ, obiter mentio est, optassem, ut tanti viri parentes nominibus suis, patria & proavorum genealogia, more historico descripta essent: sicut & in Vita S. Willehadi & S. Rimberti, in quibus humilitatis credo causa hæc eadem similiter ferè omissa sunt. Sive enim ex clara, sive ex obscura familia fuerint, semper Dei per eos laus & gloria amplificaretur: ut qui ex tantis in tantum se ipsos humiliarint, aut ex tantulis à Deo in tantum exaltati sint, ut etiam extrema pro nominis ejus amplificatione pati sint ausi, & gratiâ ejus suffulti nomen ipsius inter gentes, quas Apostolorum instar ad Christi fidem converterunt, magnum & gloriosum fecerint.* Benedictus Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra! suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem: ut collocet eum cum Principibus, cum Principibus populi sui, *Psal. 112, 5.* *Quod his benedictis viris à Deo*

Deo factum esse videtur, qui, sicut Apostoli Domini ex piscatoribus assumpti, sic & ipsi ex ignobilibus fortè, honestis tamen familiis in Apostolorum successores vocati, per prædicationem, fidelitatem, & labores suos populorum Septentrionalium Principes constituti sunt, & confortatus, magnificatus, atq; multiplicatus est Principatus eorum vehementer. Quo magis dolendum est, quod nostris & patrum nostrorum infelicibus illis temporibus per ineptissimas Hæreses ista omnia ab ipsis ædificata succiderint, & quæ fors supersunt, ita desolata sint, ut præstabilius istis populis esset, si hucusque Christum non agnovissent, facilius enim ad sanam & Catholicam ejus fidem converti possent, sicut ipsorum majoribus olim factum fuit. Faxit Deus, ut horum Luminum suorum, qui Christi salutarem notitiam eis primi præluxerunt, contemplatione, ad ipsorum vestigia rursum sequenda excitentur.

Cap. II. §. Sed neque. *Mirari aliquis possit, quomodo S. Ansgarius in Visione Majestatem Domini nostri Jesu Christi contemplans, dicere possit;* Claritatem circa eum talem non fuisse, quæ oculos contemplantium impediret, sed quæ oculos gratissime satiaret. *Cum paulo ante de se ipso dixerit;* in ipsa immensitate luminis, quid intus haberetur, contemplari se non potuisse, sed tantum superficiem intuitum esse, & credidisse Dominum Jesum Christum esse, *& postea cap. 3. dicit* se præ nimio splendore ex oculis sibi Christi apparentis emicante in faciem ejus intendere non valuisse. *Respondeo: Sane inhabitat Deus lucem inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec vide-*

re potest: & sic S. quoq; Ansgarius etsi in spiritu erat, oculis tamen corporeis & mortalibus videre sibi est visus; quomodo claritatem Majestatis Christi, & immensitatem luminis illius nec exhaurire, nec penetrare potuit, nec apparentis etiam splendorem faciei sustinere. Hæc tamen omnia ita facta sunt, ut non impedirentur oculi ejus, sed gratissime satiarentur; hoc est, ut non inde obfuscatio, dolor, & tædium ei fieret sicut nobis fieri solet solem intentius intuentibus, sed facta est ei potius [illegible]ificatio, grata recreatio, & desiderium magis magisque videndi. Ex illa gratissima satiatione colligere est, quomodo illud impedimentum accipiendum sit.

Cap. II. §. Cum itaque. *De Martyrio S. Ansgarii legitur, quod cum Majestatem Dei videret, vox ad eum facta sit dicens:* Vade & Martyrio coronatus ad me reverteris. *Jam ille non est gladio, aut alio violento modo ob fidem Christi à Tyrannis occisus, quales propriè Martyres dicuntur; sed in lecto suo inter manus suorum dysenteria solutus est. Igitur autor Vitæ ejus S. Rimbertus in fine ejusdem cap. II exponit hoc Martyrium de mortificatione Crucis, quam jugiter in suo corpore pro Christi nominis honore portavit, & cap. XXXIII. eum infirmitate proprii corporis pene assidue laborasse dicit, ut omnis vita ejus fere Martyrium fuerit. Cumq; in eodem cap. XXXIII. ultimo decumbentem consolari vellet, ad memoriam ejus revocare studuit, quantum in Dei Servitio, quantamq; corporis sui pertulerit molestiam, & quod etiam ipsa infirmitas novissima, gravis nimium & diutina, satis ipsi pro Martyrio reputari possit. Quæ mihi non displicent: infir-*

infirmitates enim corporis sui patienter ferre, affectus suos mortificare, injurias hostium libenter sustinere, eaq; omnia ex dilectione Dei pro nominis ejus honore & propter fidem Christi aut plantandam aut conservandam, spirituale quoddam etsi non sanguinis, Crucis tamen sunt Martyrium. Siquidem Martyrem non tam pœna facit, quàm causa; ut recte Gregorius dixerit: Sine ferro Martyres esse possumus; injurias enim tolerare, inimicum diligere, secretum Martyrium est. Et sane μάρτυρ testis est, & μαρτύριον testimonium, quod cum Deo & Christo per omnes incommoditates nostras reddimus, Martyres sumus. Sicut ipse S Ansgarius supra cap. 4. vidit Fulbertum discipulum suum à condiscipulo ad mortem vulneratum, ipsumq; usq; ad mortem dilexisse, & pro eo orasse, & propterea inter Martyres in cœlo collocatum esse. Addo tamen ad prædicta & hoc: Si quis propter fidem Christi, prædicationem Evangelii, ædificationem Ecclesiæ & in summa Dei gloriam & honorem paratus sit mortem etiam crudelissimam & turpissimam sustinere, modo ei hæc necessitas incumbat, & Deus eum hoc gloriæ gradu dignari velit, hunc coram Deo verum Martyrem esse, etiamsi tale Martyrium coram hominibus non experiatur. Et sic S. Ansgarius, cum in Svedia diabolicus aliquis propheta omnem populum planè confudisset errore, & contra virum Dei concitasset, dissuadentibus amicis hac vice prædicationem & suadentibus, si quid haberet precii ea ratione daret Regi, ut vivus inde evaderet: Non, *inquit,* pro vitæ meæ redemptione aliquid hic daturus sum; Quia si Dominus Deus meus ita disposuerit, pro ejus nomine paratus sum hic & tormen-

ta subire & mortem pati, *cap. vitæ ejus 23. Hic vere fuit Martyris in Confessore animus, in cœlestibus non Confessoris tantum, sed & Martyris præmio dignus! Sic tres pueri in fornace ignis, Daniel in lacu leonum, Johannes Evangelista in cado serpentum & fervente oleo, Martyres fuerunt, & inter eos numerantur, etsi singulari Dei consilio cum vita evaserint. Voluerunt enim pro Deo vitam suam dare, & ea confidenter aggressi sunt ac constanter pertulerunt, quæ mortem inferre poterant.*

Non possum quin huc referam pertinentissima verba S. Cypriani Episcopi Carthaginensis, quibus Lucium Papam Romanum ab exilio reversum alloquitur, & laudat lib. 3. Epist. 1. Apparet relegationem vestram sic divinitus esse dispositam, non ut Episcopus relegatus & pulsus Ecclesiæ deesset, sed ut ad Ecclesiam major rediret. Neque enim in tribus pueris minor fuit Martyrii dignitas, quia morte frustrata de camino ignis incolumes exierunt; aut non consummatus Daniel extitit in suis laudibus, quia qui leonibus missus fuerat ad prædam, protectus à Domino vixit ad gloriam. In Confessionibus Christi dilata Martyria non meritum Confessionis minuunt, sed magnalia divinæ protectionis ostendunt. Repræsentatum in vobis videmus, quod apud Regem fortes atque illustres pueri prædicaverunt: Ipsos quidem paratos ardere flammis ne diis ejus servirent, aut imaginem quam fecerat adorarent; Deum tamen quem colebant, quemque & nos colimus potentem esse, ut eos de camino ignis exi-

eximeret, & de Regis manibus ac de pœnis præsentibus liberaret. Quod invenimus in Confessionis vestræ fide, & in Domini circa vos protectione gestum, ut cum vos parati fueritis & prompti omne subire supplicium, Dominus tamen vos pœnæ subtraheret & Ecclesiæ reservaret. Regredientibus vobis breviata non est Episcopo Confessionis suæ dignitas, sed magis crevit Sacerdotalis auctoritas, ut altare Dei adsistat Antistes, qui ad Confessionis arma sumenda & facienda Martyria non verbis plebem sed factis cohortetur, & imminente Anti-Christo paret ad prælium milites non solum sermonis & vocis incitamento, sed fidei & virtutis exemplo. *Hactenus Cyprianus plane in sensum nostrum.*

Cap. XI. in fin. Cella Thurholt *S. Ansgario ab Imperatore Ludovico donata in Gallia esse dicitur. Et hinc oriundus erat S. Rimbertus: vide cap III. vitæ ejus. Nec minus tamen ex Gente Danorum progenitus dicitur vitæ S. Ansgarii cap. XXIX. Quomodo hæc conveniant? nisi parentes Rimberti natione quidem Dani fuerint, & tamen in Thurholt Galliæ habitârint, possidente nimirum illud S. Ansgario.*

Hujus Cellæ Thurholt mentio est in vita S. Allovini, dicti Bavonis, talis quidem, ut agnoscere sit, eam in Flandria non longe à Ganda nunc Gandavo germ. Gent/ *fuisse. Cum enim vir devotus ad B. Amandum Gandam, illius Ecclesiæ fundatorem & primum Episcopum venisset, ab eoq; solemniter in Cleri Ordinem receptus esset; postea varia loca piè visens & aliqua etiam habi-*

H 5 tans,

tans, comperto quod B. Amandus Monachus in Gandensi Ecclesia substitisset, ad locum professionis suæ rediit, ibique sub Abbate Floriberto solitarie in propria cellula mire vivens, tandem lectum ægritudinis incidit, quam tamen longe ante prædivit & prædixit. De morte ejus hæc habentur concepta Verba, apud Francisc. Haræum, *qui Vitas Sanctorum, potissimum ex Aloysio Lipomano & Laur. Surio, hujus autem Sancti ex Thedorico Abbate Sancti Trudonis collegit & descripta est 1. Octobris. De ægrotante sic ait*: Familiarem habebat Dominum Thurholtensis Ecclesiæ Presbyterum. Vocatur famulus & ad requirendum eum festinare jussus incipit velle ire quo nesciebat. Sed adest derepente Angelus Domini: ipse comitatur, ipse Thurholt usque deducit; & exposito negocio, Presbyterum assumit, & recomitatur. Hunc vir scilicet Domini inter loquendum secretum habuit: huic curam funeris sui ut haberet injunxit: hujus postremum officio communicavit, ac sic paulo post Spiritum de hujus fecis luto felicissime efflavit. Aderat tum in præsentiarum & S. Episcopus Amandus, & Venerabilis Abbas Floribertus: qui & ipsi cellulam ingressi, cernunt mirabilia Dei in martyrio militis sui *&c. Monasterium autem Oratorium & Cellam dici patet ex Vita S. Gerbardi Abb. Bromensis, quam descripsit Gonterus Abbas, & Haræus compendiose repetiit 3. Octob his verbis*: Erat tunc sicut est etiamnum hodie Oratorium eo in loco (*Bromii*) quem alii Cellam alii Utsidungum vocant. Hic Clericorum institutum, quod initio ipse eo introduxerat,

rat, (*cum adhuc in ſeculo Comès eſſet*) inde removit (*ob temeritatem ſcilicet eorum, non bonam vitam, & tetrum malæ illorum famæ odorem, quæ poſtea deſcribuntur*) & Monaſterium Ord. S. Benedicti illi ſubſtituit, (*poſt quam ejusdem loci Abbas factus eſſet.*)

Cap. XII. Et in rubrica & in textu hujus capitis Gregorius hic Papa qui ad Ludovici I. petitionem S. Ansgarium Archi-Epiſcopum confirmavit, & ei Pallium dedit, ſcribitur fuiſſe Gregorius II, quod ego fidenter expunxi tanquam errorem ſcriptoris; qui II. legit cum Weſſent. Eſt enim Gregorius IV, *qui cum Ludovico I. vixit: à Gregorio autem II usq; ad Paſcalem, à cujus prædeceſſore Ludovicus primus noviter Imperator coronatus erat, intercedunt anni circiter centum; quo tempore nondum Carolus Magnus multominus Ludovicus ejus filius fuit. Hujus Ludovici hic noſter Gregorius in Decreto ſuo infra in Appendice expreſſe mentionem facit, ſicut & Ebonis Archi-Epiſcopi Rhemenſis, cujus & Ansgarius & Paſcalis Papa, Gregoriô IV prior in ſuis Epiſtolis mentionem fecerant. Accedit teſtimonium ipſius Ludovici I. in ſuo Præcepto, cujus Imperii anno 21. hæc geſta ſunt: & teſtimonium Baronii, qui clarè Gregorium IV. nominat ad ann. Chriſti 832. in princ. & num. 7. & Adamo Bremenſe Hiſtor. Eccleſ. cap. 17. Et Crantzio Metropol. lib. 1. cap. 20. Et certe Gregorii II. tempore nec ipſe Ansgarius in rerum natura fuit, qui tamen Romæ in Gregorii præſentia fuiſſe dicitur, quando eum confirmavit & Pallio donavit, vid. Gregorii decretum.*

Cap.

Cap. XII. *Sicut & in Appendice in Decreto Gregorii, ubi narrantur Regna, loca & populi, ad quos S. Ansgarius missus est, non inveniuntur* Sabeni, *quorum meminit Baron. ad annum Christi* 826. *num.* 37.

Cap. XII. §. Cui etiam. *Locus ille transalbinus Welanao, in quo Cella esse data legitur, Gauthberto adjutori S. Ansgarii, mihi videtur fuisse locus, qui adhuc* Wehl *dicitur, adversus & supra Stadam, infra Hamburgum, ubi etiam adhuc* Rulandus *superest, quales statuas multas Carolus M. in honorem consangvinei sui Rulandi, qui oræ Britannicæ Præfectus fuit, & cum exercitu ex Hispania in Gallias rediens in Pyrenæis montibus periit, & Rutlandus à Dionys. Petavio Rationarii temporum part. 1. c. 7. dicitur, hinc inde in locis quæ singularibus privilegiis donabat erigi fecit Magdeburgi, Halberstadiæ, Bremæ, Weblæ, Bramstedii in Holsatia &c. Excellentissimum quem vidi, Bremæ est, qui præter gladium etiam clypeum gerit in cujus margine hæc simplicitatis antiquæ verba aureis literis scripta sunt:* Freyheit tho ick ju oppenbar / die K. Carl und manch Fürst fürwahr dieser Stadt gegeben hat / deß dancket GOtt / das ist mein Rhadt.

Cap. XVI. mirac. 1. Herigarius *urbis* Bircæ *in Suedia Præfectus, fidelis Christi servus cum popularibus suis de vero Deo certans, tempore pluviæ, sic ait:* Invocate vos nomina Deorum vestrorum, ne pluvia super vos descendat; & ego invocabo Deum meum Jesum Christum, ne aliqua stilla pluviæ me contingat: & si quis in hac parte se invocantes

tes exaudierit, Ipse sit Deus. *Ipse sit Deus, inquit, non quasi noviter per eos fieret; sed quia ab ipsis pro vero Deo agnoscendus & habendus esset. Dii Gentium facti sunt, noster autem Deus Est, cognoscitur & colitur. Simili plane phrasi qua olim Elias Baaliticis prophetis dicebat*: Invocate nomina Deorum vestrorum; & ego invocabo nomen Domini mei: & Deus qui exaudierit per ignem, Ipse Sit Deus, *3. Reg. 18, 24. Quod jam ante sic interpretatus erat, loquens populo:* usque quo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum: Si autem Baal, Sequimini illum, *vers. 21. & postea in precibus suis dicebat:* Exaudi me, Domine, exaudi me, ut discat populus iste, quia tu es Dominus Deus, *vers. 37. & ipse tandem populus ait:* Dominus Ipse Est Deus, Dominus Ipse Est Deus, *vers. 39. Et sic hic quoque post exhibitum miraculum Herigarius dicebat:* Ecce Videtis, quis Sit Deus! *Similiter in sequenti miraculo orat ita*: Domine mi Jesu Christe, ut sciant isti miseri, quia tu es Deus solus, & non est alius præter te.

Cap. XIX. Habetur utrumque, & quod Bremensis Ecclesia Hamburgensi adjuncta seu unita sit, & quod ei subjuncta sive subjecta sit. Hæc quid differant, nemo non videt. Subjectioni consentit Bulla Decreti Pontificii à Nicolao Papa data, ut infra in Appendice habetur, & in sequente cap. 20. verbotenus citata est; in qua Salomo Constantiæ civitatis Episcopus nomine Imperatoris petiit, ut Bremensis Ecclesia novellæ Archi-Episcopali (*Hamburgensi*) uniretur & subderetur Sedi: *& Papa respondit:* Decernimus prædictas

dictas Diœceses, Hamburgensem & Bremensem non deinceps duas, sed unam esse & vocari *(hæc est unio & conjunctio: sed quæ alteri suberit?)* subdique Sedi, quæ prædecessoris nostri decreto Archi-Episcopali est munere sublimata. *Hæc cum citra controversiam Hamburgensis sit, subditur igitur hic ei Bremensis: quamvis non ut tunc erat tota; sed restituta prius Ecclesiæ Ferdensi parte aliqua inde ablata, quam ego Ramsolam cum confinio suo esse autumo, & ex Adamo lib. 1. cap. 23. confirmo, ut ubi S. Ansgarius tempore exilii sui, cum à Barbaris Hamburgo pulsus esset, habitavit, ibi Monasterium Canonicale erexit, quod adhuc est, & inde ad Ecclesiam Bremensem Præsule carentem Archi-Episcopus vocatus est. De hac præeminentia & subjectione adhuc tumet aliquod olim conceptum ulcus in pectoribus harum civitatum, quod ipsis sanandum relinquo. Hodie certe Archi-Episcopus Bremensis in omnium ore est, de Hamburgensi Episcopatu nemo loquitur: imo videtur Hamburgensis Ecclesia Bremensi esse subjecta. Vid. infra in Appendice, ad Epistolas Innocentii.*

Cap. XX. §. Cum quo. *Habetur, quod quia ipse Dominus Ansgarius per se non potuerit abire Romam ad consensum Papæ impetrandum super unione Hamburgensis & Bremensis Ecclesiarum, suo loco directus sit* Nordfridus *Presbyter. Quod igitur infra in Appendice in Decreto Nicolai Papæ super hac eadem re Pontifex quasi præsentem alloquitur, Prosopopœia est non personæ coram assistenti viva voce, sed Archi-Episcopo absenti per hoc Decretum fit: alloquitur eum Papa literis, non verbis. Prius autem Papæ Gregorio præ-*

præsens adfuerat, ut ex ejus Decreto liquidum est, & ego in margine annotavi. Ab utrisq; enim his Papis & confirmationem illam & Pallium accepit, sicut Bullæ Decretorum ipsorum ostendunt.

Cap. XXX. §. Jam vero. *Aquæ quam bibiturus erat aliquantulum de potu admiscuit.* De potu, *id est, de vino: vinum enim est naturalis potus hominis, sicut panis cibus. Ps. 103, 15.*

Cap. XXX. §. Specialius. *Illud Hospitale pauperum, quod S. Ansgarius in Brema constituit, duodecim fuit pauperum; qui reliquorum accedentium & recedentium curam gererent: & est posterioribus temporibus, cum opibus & viris idoneis crevissent, ab aliquo Catholico Archi-Episcopo Bremensi in Canonicatum duodecim personarum versum, qui adhuc in esse est. Splendidissimum est deinceps ædificatum Templum, turri prealta foris, & intus Organo præclaro ornatum, & adhuc ad Sanctum Ansgarium dicitur, in qua supellectilem sacram, bibliothecam & alia preciosa à Catholicis relicta conversa esse respondent.*

Crantzius lib. 1. cap. 38. habet, S. Ansgarium post unionem Hamburgensis & Bremensis Ecclesiarum supervixisse 7. annis: vid. Baron. ann. Chr. 858. n. 14. noster autem Codex ter habet (est enim eadem res tribus locis scripta) quod 18. annis supervixerit. vid. post S. Ansgarii Vitam quod ἀντιοφανὲς, sic concilio. Anni 18. nostri Codicis intelligendi sunt à tempore primæ Administrationis post factam unionem, anni autem 7. Cranzii à tempore Confirmationis Papalis. Cum enim fieret unio, Ecclesia Coloniensis absq; benedictione Episcopali dege-

degebat, & illud diuturnum extitit: postea Guntharius, Colonienſis *Præſul conſtitutus, cum contradiceret huic unioni, ab Imperatore Ludovico juniore aliisq; Eccleſiaſticis & Politicis, Wormatiæ rogatus conſenſum ſuum hactenus præbuit, ſi Apoſtolica autoritate firmaretur ea unio; hactenus ergo nondum confirmata fuit. Tum demum miſſus eſt* Salomon Conſtantienſis *civitatis Epiſcopus &* Nordfridus *Presbyter ad Papam* Nicolaum *& Confirmationem obtinuerunt. Anni igitur XI. decurrerunt ab unione facta ad hanc Confirmationem, quibus S. Ansgarius unitos Epiſcopatus adminiſtravit: his additi 7. anni poſt Confirmationem factam faciunt 18. Vid. cap. 20. Vit S. Ansgarii & Epiſt. Nicolai Papæ in Appendice. Adamum item Bremenſem & Albertum Crantzium, quorum ille plenariam appellat Copulationem lib. I. cap. 31. hic plenariam unionem Metropol. lib. I. cap. 42. circa fin. ob Confirmationem ſcilicet.*

VITA
S. RIMBERTI. *a*)

CAPITULA VITÆ ET GESTORUM S. RIMBERTI ARCHIEPISCOPI ET CONFESSORIS.

PROLOGUS.

CAP. I. Propoſitum Ludovici Imperatoris, patris ſui Caroli Magni pia inſtituta continuandi & conſumandi. *CAP. II.*

a) Quis S. Rimberti Vitam ſcripſerit nondum ſatis comper-

CAP. II. Ludovicus Imperator facit S. Ansgarium ordinari Archi-Episcopum Hamburgensem, & laus ejus.

pertum habeo: suspicor tamen fuisse ipsum successorem in Archi-Episcopatu *Adalgarium*, qui ei olim à germano suo fratre Adalgario Novæ Corbejæ Abbate in directorem Monasticæ Regulæ, quam etiam Archi-Episcopus observandam susceperat, adjunctus erat. Ut quemadmodum S. Willehadi Vita scripta est per Ansgarium & S. Ansgarii Vita per Rimbertum sic S. Rimberti Vita scripta sit per Adalgarium, qui ei egregium testimonium observatæ monasticæ Vitæ & Regulæ perhibet cap Vitæ ejus 12. Nec obstat, quod ipse Adalgarius ibidem se laudare videatur appellans se, cū Frater Monachus esset, *insignem conversatione virum*, sicut & cap. 22. hoc enim de se testimonium non inanis gloriæ causa ex suopte judicio profert, sed ex judicio sic de se sentientium, qui idcirco eum Archi-Episcopo socium & directorem elegerunt & miserunt. Nec vana etiam laus est, quod se ibidem *Virum Venerabilem* appellat, cum jam successor & Archi Episcopus esset, erat enim ille tunc temporis Archi-Episcopalis titulus. quo & uti potuit cum se quasi occultare & nomen suum reticere voluit, imitando S. Rimbertum, qui etiam se sub nomine familiaris, fidelis & perpetui comitis S. Ansgarii descripsit. Vid. Vitæ ejus cap. 9. & Vitæ S. Ansgarii cap. 30. & 33.

Nec obstat etiam, quod se à Scriptore illo sequestrare videtur, quando ait: *Hic Vir Venerabilis* (ipse Adalgarius Archi-Eipscopus) *adhuc hodie superest, cum multis aliis attestans, quia S. Pontifex, cujus Vitam scribimus, nihil ex occasione curæ Pastorali de monastica perfectione perdiderit &c.* sic enim scribere debuit, qui de se recte loqui intendit; sicut novimus etiam S. Johannem Apostolum de se loquutum esse. Nec de-

denique obstat, quod cap. 21. de S. Rimberto ait: *Fertur & dicitur miracula fecisse*, quasi ex aliis habeat: aut enim ad publicæ famæ testimonium confugit, aut subindicat, se proficiscenti in Suediam non fuisse comitem, sed domi res officii ejus administrasse. Et quis potuit major aut magis idoneus ejus monasticæ vitæ testis esse, quam is, qui ad eam dirigendam ei ajunctus erat? Cumque ipse cum multis aliis hac de re attestetur, ut hic scriptum est, quis non videt, quod se inter alios testes præcipuum faciat, qui non tantum Archi-Episcopus & cæterorum Dominus sit, sed alteris etiam sopitis hoc suo scripto in perpetuum testetur. (*Godfridus Henschenius qui hanc S. Rimberti vitam edidit in Actis Sanctor. T. 1. Febr. p.* 559. *eam tribuit Monachi Corbejensi ut, pluribusque argumentis pag.* 555. *disputat Adalgarii eam esse haud posse.*)

CAP. XXVI. Miraculum ad sepulcrum S. Rimberti.
XXVII. Subscriptiones Episcoporum.

Prologus in Vitam Sancti Rimberti Episcopi & Confessoris.

Scripturi Vitam cum omni semper veneratione memorandi Rimberti, Pontificis, & b) quæ officii ejus primitus occasio fuerit, aut quem ad hoc institutorem vel conversationis præfectum habuerit, seu qualiter ad hoc electus deinceps vixerit, in quantum hæc comperimus, fideliter enarramus.

Incipit Vita Ipsius.

CAPUT I.

Propositum Ludovici Imperatoris, patris sui Caroli Magni pia instituta continuandi & consummandi.

CUm Imperator *H Ludowicus* Regni Francorum Monarchiam teneret, auctori sublimationis suæ Deo talem devotè vicem reddere curavit, ut Ecclesiæ Dei in Regno ejus constitutæ decenti vigore proficerent, Servorum quoque & Ancillarum Dei status cum honoris incremento, latius excresceret. His ejus assiduis meditationibus, ex divina inspiratione, subintravit etiam memoria, qualiter Serenissimus Pater suus *Carolus*, cognomento *Magnus*, Gen-

b) Initio Prologi, transtuli illam Conjunctionem, *&*, ex loco ubi abundabat, *inter vitam, & cum omni*, ac transtuli eam ad *quæ officii*, ubi desiderabatur.

Gentem *Saxonum* eotenus infidelem ad fidem Christi converterit, usque adhuc ordinatis per ipsam Provinciam sufficienti numero Episcopis, & Sedibus eorum provide distributis extremam ad plagam Aquilonarem ejusdem Provinciæ partem ad hoc reservaverit, ut ibidem Archi-Episcopalis constitueretur Sedes, unde prædicatio Verbi Dei finitimis fieret populis, *Sueonum, Danorum, Norveorum, Farriæ, Gronlandan, Islandan, Scridvundan, Slavorum,* nec non omnium Septentrionalium, & Orientalium nationum quocunque modo nominatarum, qui paganicis adhuc erroribus involvuntur.

CAPUT II.

Ludovicus Imperator facit S. Ansgarium ordinari Archi-Episcopum Hamburgensem, & laus ejus.

RES ad hoc opus constructa est tantum & dedicata Hammaburgensis Ecclesia in confinio Danorum & Slavorum in extremis videlicet partibus *Saxonum* inter eos qui dicuntur *Nordalbingi*, & unà cum incolis locorum eadem Ecclesia jussu ejusdem gloriosi Imperatoris *Caroli* ad gubernandum est Presbyteris commissa, donec opportuno tempore deputatis prius ad locum Episcopalibus sufficientiis Archi-Episcopum faceret ibidem consecrari. Ipso autem ante hujus effectum voti ex hac vita sublato, piissimus filius ejus jam dictus *H Ludowicus* cum fidelibus

ſuis hanc ejus intentionem retractans *Anſgarium* ſummæ Sanctitatis virum ut pater decreverat, privilegii Archi-Epiſcopalis, & ordine & nomine ſublimari, & jam dictæ novellæ Eccleſiæ rudibusque adhuc in fide populis Rectorem, ac Gentibus, ut dictum eſt nec dum fidelibus Erogatorem Verbi divini fecerat ordinari. Cujus à pueritia in Dei timore converſationem, vel cum ætatis proceſſu virtutum incrementa, ut quantis indiciis divinitus præmonſtratum ſit Pontificatus & prædicationis ejus officium, & quomodo per Sedis Apoſtolicæ privilegia ejus ſit omnis cauſa munita, ſtudiumque ejus & profectum in lucrandis Deo animabus, quas vel in fide roborare, vel de paganiſmo ad Chriſtianitatem producere quotidie ſatagebat, quisquis ſcire cupit, legat libellum vitæ ejus,* & quantæ Sanctitatis vir ipſe fuerit perpendet. Nos nunc de ejus Sanctitatis imitatore ſimul & dignitatis ſucceſſore *Rimberto* ſcripturi, qualiter primo ei cognitus ſit, & conſequenter aſcitus, hinc jam ſequi c) incipiamus.

CAPUT III.

Quomodo Rimbertus puer à S. Anſgario aſcitus & ad inſtituendum datus ſit.

CUm jam dictæ noviter inſtitutæ Hammaburgenſis Eccleſiæ termini eſſent anguſti, & ad tan-

* Citatur liber vitæ S. Anſgarii & poſt ſæpius.

c) *Jam ſequi incipiamus* id eſt, Jam incipiamus facere aut ſcribere ut ſequatur.

tantum officium quod Episcopo ejus injunctum diximus, sumptus ex illius pertinentiis collecti non sufficerent, ipsosque etiam qui provenire possent reditus, frequens hostilis irruptio diriperet, ne per hoc vir Dei impediretur à prædicationis officio, quod in gestis ejus Legatio ad Gentes vocari solet, memoratus Imperator *HLudowicus* quandam in Gallia *cellam Thurbolt* vocatam eidem Legationi tradidit perpetuo servituram. Quodam autem tempore Dominus Pontifex ibidem degens, aspexit quosdam pueros ad Ecclesiam cum joco & inanibus festinare discursibus: quorum quidam * inter cæteros penè minimus graviter incedens, & pueriles levitates sollicite devitans, orationem cum reverentia & timore peregit, surgensque signo Crucis frontem munivit, & quasi maturioris esset ætatis, suam per omnia continentiam exhibuit. Animadvertit ergo vir Dei sacram religiosi pueri infantiam, divinæ jam servitutis amore flagrasse, accitisque ad se parentibus ejus, & nomen pueri quod Rimbertus vocaretur edidicit, & consensu eorum accepto, tonsuram ei & Ecclesiasticum habitum imposuit. Sicque eum ibidem paterna sollicitudine commendans, studiose erudire præcepit: paucisque diebus ibi transactis inde discessit, & suscepti Pastoralis officii, suæque ad gentes Legationis instanter operam egit.

* Pietas & laus pueri Rimberti.

CAPUT IV.

Quomodo Rimbertus adolescens meditari mortem instituerit.

POst hæc puer jam Deo dilectus magis magisque in gravitate proficiens & discendis liberalibus disciplinis ardenter instabat, & inter hæc orationibus cæterisque bonarum rerum occupationibus assuetus, in paucis annis omni maturitate, & scientiæ & virtutum perfectus enituit. Et jam tunc juxta Psalmistam * *concaluit cor ejus intra ipsum & meditatione ejus exarsit ignis*, invenire cupiens, quid ei in hac vitâ consistenti exsequi maximè prodesset. Cui talia meditanti occurrit juxta quendam sapientem, ** primam *Philosophiæ* definitionem *meditationem esse mortis*, idque toto pectore hausit, ut omni vitæ suæ tempore hanc summam sapientiæ consequi mereretur, quatinus tempore mortis suæ de neglectu præmeditationis ejus non contristari, sed potius per observationem Scripturæ *** monentis ac dicentis: *in omnibus operibus tuis memorare novissima tua & in æternum non peccabis:* quantum humanæ conditioni possibile esset, de peccatorum vel cautela vel remissione securus lætificare mererentur.

* Psal. XXXLVIII, 4.
** Platonem in Phædone.
*** Sirach XXXVIII, 21.

CAPUT

CAPUT V.

S. Ansgarius Rimbertum ex divina revelatione ſibi familiariſſimum reddit.

VEnerandus igitur Præſul, qui eum divino mancipavit Servitio, ſicut in geſtis vitæ ejus legitur, quæ illi ventura vel ab ipſo gerenda erant, pene omnia vel per ſomnium vel per intimam revelationem in mente prænoſcere & præordinare ſolebat. Quæ autem ipſa fuerit intima in mente revelatio, ſcriptores ejus vitæ tale quid eſſe arbitrantur, quale in Actibus Apoſtolorum *ſæpius replicatur: *Dixit autem Spiritus illi, vel illi Diſcipulo.* Unde non eſt diffidendum, quod vir Dei non ex eventu, ſed divinæ ammonitionis attractu, quem occultiori ſenſu, utpote vir ſpiritualis in anima percipere ſolebat, hunc Felicem de quo loquimur puerum cum tantæ paternitatis affectu divinis aſciverit miniſteriis, quin potius in tenore converſationis & modo quo ſemper deinceps apud illum tractatus & habitus eſt veriſimile videtur, quod evidenter à Deo illi ſit revelatum, quia ſucceſſor illi in Epiſcopatu futurus fuiſſet. Nam cum primo in diſcendis artibus & diſciplinis ſcholaribus diſtrictio Magiſtrorum ei remitteretur, quod uſitatâ locutione egreſſum de ſchola dicimus, mox eum Dominus Epiſcopus indiviſibilem ſuæ legationis comitem eſſe conſtituit. Venientemque de præfato in quo eum nutriendum com-

* Actor. X. 19. XI. 12. XXI. 4.

mendavit Monasteriolo cum gaudio suscepit, consciumque suorum in omnibus permiserat esse gestorum, quibus ipse Deo cum omni pietate sivè occultè sivè manifestè famulabatur.

CAPUT VI.

Quomodo S. Ansgarius Discipulo suo Rimberto amorem suum patefecerit: & à Deo obtinuerit, ut sciret ipsos in vita æterna non separandos, sed consortium præmiorum habituros.

DEnique cum quadam die juxta morem simul assisterent ad orationem, jamque supplicatione finitâ egredi de Ecclesia pararent, quasi secretioris gratiæ munus in Discipulo Pontifex agnoscit, eum his verbis alloquitur: Oportet te, inquit, ô fili Rimberte, semper illi gratias agere, qui de turbidis seculi fluctibus ad portum quietis te vocavit, ad quem quia video te indubitanter animum applicâsse, fateor amoris tui me affectu flagrare, eandemque dilectionem fine tenus ex mea parte circa te durare non dubites. Cui ille respondens, indignus sum, inquit, Domine, tantâ gratiâ tuâ, quia tamen hanc in me ostendis clementiam, meritis tuis apud Deum mihi obtineri deposco, ut in futura vita præmiorum tuorum consortium adipiscar. Tunc Sanctus Episcopus cujus mentem gratiâ Dei sæpius illustrari diximus ad prænoscenda, quæ illi futura essent, his verbis dignissimi Rimber-

berti, nullum quidem ad præsens dedit responsum, tertiâ vero die transacta, ipso jam sollicitudine cogitationum fatigato, quare scilicet ad hanc petitionem suam reticuerit, Episcopus talem ei reddidit consolationem: Jam, inquit, obtinui à Domino ut in futuro seculo sicut petisti ab invicem non separemur; ubi ita beatitudinis æternæ participes erimus, ne nostra nos virtute ad hanc pertingere posse præsumamus, quod est reatus superbiæ, per quam ceciderunt, qui operantur iniquitatem: nec rursus desidia torpentes obliviscamur, quod dicitur: * *in Deo faciemus virtutem*, sed quotidie studeamus ut bonum opus sicut ammonet Beatus *Gregorius*, habeatur nobis in voluntate; ac si consequenter confidamus, quia juxta eundem Doctorem ex adjutorio divino erit in perfectione. Si quem autem movet hanc trium dierum dilationem ad hoc responsum fecisse Episcopum, meminerit nos prædixisse, mentem ejus à gratia Dei ad prænoscenda futura sæpius illuminari, de quo tamen his ipsis quæ subjecta sunt verbis in vita ejus *d*) ita descriptum habetur. *Ad omnia ergo quæ forte præcipua definire debebat, spacium cogitandi habere voluit, nec quicquam temere disponebat, antequam gratia Dei illustratus, ipse in mente sua sentiret quid melius esset. Sicque superna visitatione certificatus in mente sine*

* Psal. XI., 14.

d) Rem hanc in Vita S. Ansgarii & prioribus capitibus Vitæ S. Rimberti passim invenio; illa autem ipsa verba, quæ hic citantur, non invenio: nisi me oculus & memoria fallit.

sine cunctatione, quæ agenda erant disponebat. Hæc de vita ejus idoneus inseruisse * Lector intelligat, ut ex hoc testimonio comprobaretur, nihil eum ad petitionem hujus Sanctissimi Discipuli sui Rimberti respondisse, nisi quod in hoc tridui spacio menti ejus Spiritus Sanctus infudit; juxta sententiam quam etiam superius ** de Actibus Apostolorum protulimus.

CAPUT VII.

Procuratoris S. Ansgarii de S. Rimberto Visio, ejusque explicatio.

ACcedit etiam ad præsagium virtutum Beati viri visio quædam de ipso revelata Procuratori Antistitis, primâ mox nocte adventus ejus Hammaburgum, cum ipse adhuc in prima ætate adolescentiæ fuisset. Videbatur enim eidem Procuratori, conspexisse se ipsum Rimbertum sedisse in fastigio Oratorii, signumque Ecclesiæ unum quod nos *Cloccam* vocamus, in cœlo apparuisse, à quo ligamén lineum ut assolet in modum funis demissum usque ad ipsum dependeret Rimbertum, per quod ipse idem signum hilariter traxisse, & sono ejus dulciter delectatus esse videbatur. Cui somnio congruam ex divinis Scripturis interpretationem reperimus. Præcipitur Mosi à Domino,*** ut inter alia vestis Sacer-

* Pro *inserta esse.*
** Cap. V.
*** Exod. XXVIII.

cerdotalis myſtica indumenta hæc etiam fiant: *Deorſum*, inquit, *ad pedes ejusdem tunicæ per circuitum quaſi mala punica facies ex Hyacintho & purpura & cocco biſtincto*, & ut in ſequentibus invenitur *ex byſſo retorta, mixtis in medio tintinnabulis*. Quare autem hic tintinnabula adjungi præcepta ſint, inferius oſtenditur: *ut audiatur*, inquit, *ſonitus quando ingreditur Pontifex Sanctuarium in conſpectu Domini & non moriatur*. Sacerdos namque ingrediens vel egrediens moritur, ſi de eo ſonitus non audiatur: quia iram contra ſe occulti judicis exigit, ſi ſine prædicationis ſonitu incedit. Quia igitur futurum erat ut ſummo Eccleſiæ gradu conſcenſo, vir Domini ornamentis ſpiritualibus eniteret, ut etiam prædicationis officium inſigniter egiſſe probaretur, rectè in faſtigio Templi quod ſignificat apicem Pontificalem, cum doctrinæ ſvaviſſimo & cœlitus attracto ſonitu ad convocandum ſervitio divino ſacram Chriſti plebem ſediſſe videbatur. Hoc enim in hujus oſtenſione viſionis perſonans attractu ejus ſignum cœleſte ſignificare poteſt, quod in veſte Pontificis tintinnabula monſtrare probantur. Qualiter etiam cætera quæ de Scriptura ſacra propoſuimus Sacerdotalis habitus ornamenta ſpiritualiter in ſe ſe ſemper exhibuerit ad profectum ſimul & imitationem legentibus exponere judicavimus. Malis utique punicis utebatur in quibus multa interius grana uno foris cortice teguntur: quia ipſe ſemper multifariam virtutum operationem uno caritatis munimine un-

undique verſum tectam geſtabat. Hæc autem mala punica ex purpura & hyacintho & cocco biſtincto, & byſſo retorta erant, quæ cuncta illi aptiſſime conveniunt. Omni enim deſiderio ſemper quærebat cœleſtia, quæ per hyacinthum ſignificantur, pro Chriſti nomine usque ad Martyrium paratus, quod intelligitur in purpura, amore Dei, & proximi flagrans, quod per coccum biſtinctum exprimitur. Et ſicut byſſus de terra eruta longo exercitio, ſiccandi, tundendi, purgandi, coquendi & nendi gramineum ſolet perdere, & candidum in ſe recipere colorem: ita ipſe cum magno continentiæ labore quaſi nativum exſudans humorem, ad decorem dignæ Deo puritatis, ſolerti jejuniorum & vigiliarum & orationum & lectionis, patientiæ & humilitatis inſtantiâ pervenit. Quibus omnibus tintinnabula habuit permixta: quia raro aliud ab illo quam prædictarum virtutum ſuaviſſimus ſonitus audiebatur, qui rurſum operum ejus ſublimitate audientium mentibus commendabatur; ſicut & ſequens de illo hujus opuſculi textus manifeſtius oſtendit.

CAPUT VIII.

Viſio S. Rimberti de Arnolfo Presbytero, hujus querela & per illius abſtinentiam liberatio.

CUm adhuc eſſet in obſequio deceſſoris ſui Domini Anſgarii, apparuit ei Presbyter

Ar-

Arnulfus jam diu defunctus, & percontanti de ejus causa in alterius seculi vita, dolenter respondit: Ego, inquiens, dum adhuc in carne essem, negligenter de animæ meæ agebam salute, gravitatem personæ meæ competentem non servans, ocio sæpius vacans, & aliquando etiam indicto jejunio carnem manducans, aliaque similiter interdicta in esca & potu frequenter usurpans: pro talibus commissis indignus fui hactenus ad præsentiam Dei venire; sed si tua, ait, fraternitas pane & sale & aquâ contenta à cæteris victualibus abstinentiam quadraginta diebus pro me facere vellet, crederem me per Dei misericordiam ab hujus repulsionis meæ sententiâ seu pœnâ liberari. Cui cum ipse ut ei videbatur ita se facturum esse polliceretur, expergefactus de somno, mox ut Episcopum alloqui potuit, Visionem ei omnem exposuit. Acceptoque ab eo consilio, toto quadraginta dierum spacio nullo alio cibo vel potu est usus, nisi pane tantum & aqua. Eodem tempore tanto dentium dolore vexabatur, ut ipsis sibi panem ad reficiendum commoli sustinere non posset: quamobrem ipsum panem comminutatim terendo seu manibus confricando in ipsam aquam commiscebat, & ad levamen dentium quodammodo instar pultis emolliebat. In quo etiam ad augmentum abstinentiæ, ea quæ in simplici decoctione panis esse possent plurimum defecerunt, & vis scilicet alimenti & suavitas ac delectatio saporis. Expletis autem diebus istius ab-

abstinentiæ, ipse Presbyter pro quo hæc agebantur, per visum apparuit cuidam fœminæ, quæ multis diebus paralytica jacebat nomine *Helabwib:* cui longa quidem infirmitas membra gravavit, sed tamen ut de quodam Beatus *Gregorius* dicit, ipsa infirmitas eadem membra à bono opere non ligavit. Quotidie enim se ad Ecclesiam deportari faciens, verbum vitæ ibidem delectabatur audire, Hymnisque & Laudibus prout potuit die noctuque vacare. Huic, ut dictum est, per visum apparens Presbyter memoratus, famulo Dei Rimberto gratias referri petivit, de parsimonia pro ejus salvatione exacta, quam & in tantum sibi profecisse mandavit, ut abnegatum sibi prius ad conspectum Dei accessum & aulæ cœlestis introitum per hanc condonatum constaret. Ipse vero Rimbertus inter eos, inquit, ascribetur, de quibus dicitur:* *Fulgebunt justi, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent*; & de quibus Psalmista ** ait: *Ibunt de virtute in virtutem.* Istiusmodi Visionibus vir Dei nil unquam animo extolli solebat, sed per humilitatis tutissimam semper viam incedens ita quodammodo quotidie virtutum gradus ascendit, ut sæpe dictum semper attendere videretur Beatum *Gregorium* *** dicentem: *Unusquisque vestrum, Fratres, magnus esse studeat, sed tamen magnum se esse quodammodo nesciat, ne dum sibi magnitudinem arroganter tribuit, amittat.*

* Sap. III, 7.
** Psal. LXXXIV. 8.
*** Homil. 3. in Evangel.

CAPUT

CAPUT IX.

S. Rimbertus est admodum ille familiaris Discipulus & frater S. Ansgarii, de quo sæpe mentio est.

QUamdiu ergo fuit in corpore vir Domini *Ansgarius*, iste Servus Dei Rimbertus præ cunctis familiarius illi in omnibus adesse solebat, de quo aliquotiens nobis in hoc opusculo mentio incidit, & libellus gestorũ præfati Pontificis ab ipso Rimberto * alioque condiscipulo ejus editus testatur. In quo videlicet libro ubicunque commemoratio fit cujusdam fidissimi Discipuli ejus, quod frequenter ibi Lector inveniet, ipsum sciat fuisse Rimbertum: sed quia ut diximus ipse cum alio quodam editor eorundem extitit gestorum, idcirco veritatem rei, suppresso nomine suo, exprimere voluit, ne de se familiariorem gratiam jactanter proferre videretur. Sic enim & Beatus Evangelista Johannes in Evangelio suo fecit, ubi suam semper personam maluit indiciis rerum accidentinm, quam proprio designare vocabulo. Quatenus autem in hoc devotionis loco cum Episcopo familiariter Sanctus vir Rimbertus perseverârit, ex verbis præfati libelli cognoscitur, quibus de transitu Domini Episcopi ita commemoratur: ** *Percepta*, inquit, *Dominici Corporis & Sanguinis Communione, Sanctus Pontifex Dominum deprecabatur, ut*

K qui-

* S. Rimbertus edidit vitam S. Ansgarii.
** Cap. XXXIV. in fine.

quicunque in eum quoquo modo peccasset, divina hoc ei pietas remitteret; Deinde versiculos istos cœpit frequentius repetere: * Secundum misericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam Domine, *Et,* ** Deus, propitius esto mihi peccatori, *Et,* *** in manus tuas, Domine, commendo spiritum meum. *Cumq; hæc sæpius repeteret, & frequenti anhelitu jam ea frequentare non posset, cuidam Fratri præcepit, ut hæc vice illius frequentando caneret. Sicq; oculis in cœlum intentis Domini gratiæ commendatum Spiritum exhalavit.* Hic ergo quem vice sua verba orationis pro se frequentare præcepit, Rimbertus fuit, cui in loquelæ suæ defectu voti sui verba commendans Episcopus, per eum se compensare credidit, quicquid ipse minus orationum jam moriens peragere posset, quoniam & propter vitæ ejus meritum pro se illum exaudiri non dubitavit, & quod ille fecit non discrevit ab eo, quod à seipso factum fuisset, quia cor unum & anima una, unus spiritus & una fides, erat semper in eis.

CAPUT X.

S. Ansgarii morituri testimonium de S. Rimberto cum de successore ejus quæreretur.

DEnique cum in infirmitate ipsa quâ de hac vitâ migravit, consilium quæreretur ab eodem

* Psal. XXXV. 7.
** Luc. XVIII. 13.
*** Psal. XXX. 6.

dem Domino Anſgario de ſucceſſore ejus eligendo, & quidam etiam de Rimberto quid ei videretur inquirerent, reſpondiſſe fertur: * quod hoc ſui non fuerit miniſterii decernere, quia forſitan ipſe in Epiſcopatu multorum animos offenſos haberet, quod emendâre magis debuiſſet, quam per hoc motum ipſum animorum augere, quod ipſe talem ad ſucceſſionem perſonam denominaret, quæ fortaſſis incommoditate ſuâ gravaret ſubjectos, & amaræ fierent propter hoc contra ipſum querimoniæ. De meritis tamen inquit, Rimberti ſciatur, quia dignior ipſe Archi-Epiſcopali, quam ego Sub-Diaconatus officio. Hæc de ſe magnæ humilitatis intentione Sanctus proſecutus eſt Epiſcopus, tanquam verus obſervator ejus, quam & ipſe olim in profectione habuit Monachorum Regulæ,** dicentis: *Septimus*, inquit, *humilitatis gradus eſt*, *ſi non ſolum omnibus ſe inferiorem ſuâ linguâ pronunciet Monachus*, *verum etiam intimo cordis credat affectu*, *humilians ſe & dicens cum Propheta*: *** *Ego autem ſum vermis & non homo.* Solent enim Sancti viri cum fortia agunt, de ſemetipſis vilia ſentire. Juxta quod de ſemetipſo David * coram Arca Domini ſaltando Regni ſui potentiam deſpiciens dixit: *Ludam & vilior fiam plusquam factus ſum*, *& ero humilis in oculis meis*, de quo &

K 2 Apo-

* S. Anſgarius non voluit ſibi ſucceſſorem nominare.
** Reg. S. Benedicti cap. VII.
*** Pſal. XXII. 7.
* 2. Sam. VI, 22.

Apostolus ammonet dicens: * *Implete gaudium meum, ut idem sapiatis eandem caritatem habentes, unanimes idipsum sentientes, nihil per contentionem neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes.* Quorum prius, hoc est, Prophetæ testimonium Beatus vir Ansgarius, ita in se custodire solebat, ut de semèt ipso intus humilia sentiens, honorem exterius non requireret, quasi dicens: *Ludam & vilior fiam;* nec rursum per hoc quod vilem se exterius præbuit, interius intumesceret, implendo potius quod sequitur: *& ero humilis in oculis meis,* id est, qualem me exterius despiciens exhibeo, talem me interius attendo. Qua despectus sui intentione implevit etiam quod de Apostolo proposuimus; ut omni contentione & inani gloria carens, per humilitatem sibi alios superiores arbitraretur: unde & superius descriptum, potioris quàm ipse esset meriti Beato viro Rimberto tantopere dedit testimoninm. Sed quanquam ipse humilitatis causa de sese talia dixerit, nostrum tamen non est, quemlibet eorum alteri præponere, sed æquales fuisse meritis credere, quos & unius fidei devotio & ejusdem officii licet diversis temporibus administratio commendet æqualiter.

* Phil. II. 2.

CAPUT

CAPUT XI.

S. Rimbertus Archi-Episcopus eligitur & consecratur.

QUamquam igitur ſicut nunc diximus Sanctus Pontifex non libenter aliis, pro offenſa eorum vitandâ de ſucceſſuro ſibi aliquid referre voluiſſet, ne ſuum tamen penè in omnibus conſcium hâc gratiâ in fine defraudaret, triduo ante obitus ſui diem aperuit ſecretum ſuum viro Dei Rimberto, quod poſt ſe deberet ad Pontificatus apicem promoveri. Tum ille reniti cœpit ad tantum miniſterium, nec viribus nec meritis ſe idoneum eſſe proclamans. Cui Sanctus Epiſcopus, Dei diſpoſitionem eſſe commemorans, quod ipſe prædixit, competentes ammonitiones adjunxit, quod ſuam voluntatem ad divinæ diſpoſitionis judicium inflectere deberet, juxta illud Beati Thomæ Domino dicentis: * *Dominus meus es tu, & ego Servus tuus, fiat voluntas tua.* Ad hæc glorioſo Rimberto reniti vel contraire conſtantia defecit, quando Epiſcopum divinitus hæc accepiſſe ſciebat. Nec ulla ambiguitas fuit Clero vel populo inter plures de electione, ** ſed ipſo mox die depoſitionis Domini Anſgarii Rimbertum omnes concorditer elegerunt. Cum cujus concordiæ pacto, ad glorioſum tunc temporis Regem *H Ludowi-*

K 3

* Reſpicitur Joh. XX. 28.

** S. Rimbertus eligitur, poſtridie obitus S. Anſgarii 4. Febr A.C. 865.

dowicum adduxerunt eum viri Venerabiles, *Thiadricus* Mindensis Ecclesiæ Episcopus, & *Adalgarius* Abbas Monasterii novæ Corbejæ, susceptusque ab eo honorifice cum Pontificalis baculi juxta morem commendatione Episcopatus est fortitus dominium. In Chartis autem Apostolicorum Romanæ Sedis Pontificum, à quibus privilegium Archi-Episcopale [illegible]ncitur Sedi quam tunc ipse suscepit, etiam hoc continetur, ut quia propter novellam ejusdem Sedis institutionem & nec dum conversos ad fidem populos suffraganei non habentur Episcopi, à quibus decedente uno alter Archi-Episcopus consecraretur, Palatinæ interim providentiæ succedentium per tempora Pontificum consecratio sit commissa, donec numerus Suffraganeorum Episcoporum canonicè eum consecrare debentium ex Gentibus suppleatur. Cum hujus ergo ad ordinandum eum tenoris insinuatione Venerabilem Rimbertum gloriosus Rex direxit ad *Luidbertum* e) Mogotiensem Archi-Episcopum, à quo jussu ejus ita est consecratus, ut provide actum sit, quatinus in adjutorium consecrationis, non unius Metropolis, sed duarum convenirent Suffraganei, *Luidbardus* videlicet Paderburnensis Episcopus, pertinens ad Maguntiam, & præfatus *Thiadricus* Suffraganeus Archi-Episcopi Coloniensis. Quos ita permixtim adesse idcirco placuit

e) Ubi nostrum exemplar habet *Luitbertus* Mogotiensis Archi-Episcopus, Zachar. Lippeloo & Franc. Haræus in vit. SS. scripserunt, *Linibertus* 4. Febr.

cuit, ut tam hujus consecrationis actio, quam etiam Domini Ansgarii, primitus ad Sedem ipsam simili modo facta ordinatio, in signum essent futuris temporibus, quod ad nullam nominatim Condiœcesitatem quorumcunque Episcoporum, pertineat ad hanc Sedem consecrare Episcopum, sed tantum ut diximus Palatinæ hoc commissum sit, prudentiæ, donec consecrantium numerus ex Gentibus suppleatur.

CAPUT XII.

S. Rimbertus voverat, post mortem S. Ansgarii Monachus fieri, & fit etiam jam ordinatus Archi-Episcopus.

HAbuit autem hic Sanctissimus vir olim hoc votum de se factum, ut post discessum Domini Ansgarii monachicum mox & propositum acciperet & habitum. Unde cum consilio consecrantium se Pontificum mox post ordinationem ad Monasterium novæ Corbejæ properans, vestem quidem illius promissionis * ex integro suscepit, conversationis autem illius promissionem ita fecit, ut conversationem suam & stabilitatem morum suorum, & obedientiam secundum *Regulam Sancti Benedicti* exhiberet, in quantum labor & occupatio suscepti Pontificatus permitterent. Et ut in hujus promissionis effectu veracius assuesceret, aliquem de Fratribus ejusdem Monasterii sibi præstari rogabat,

 cum

* Forte professionis.

cum quo, quia ipsi in Monasterio esse non licuit, solatium haberet assiduæ inde meditationis, & usum continendi se, juxta moderamen regulare quod promisit. Ad quod ei deputari placuit insignem conversatione virum gradu Diaconum nomine *Adalgarium* * germanum videlicet & æqui vocum Abbatis ejusdem Monasterii, de quo supra diximus. Hic vir venerabilis in conversationis ejus imitatione simul & successionis dignitate adhuc hodie superest, cum multis aliis attestans, quia Sanctus Pontifex, cujus vitam scribimus, nihil ex occasione curæ Pastoralis de Monachica perfectione perdiderit, adeo, ut nullus etiam intra ipsa Monasteria viventium, instrumenta bonorum operum, quæ eorum Regula commemorat æque ut ipse observaverit. Cujus facta quidem vix à nobis explicari possunt; sed cotidianam ejus cum Deo conversationem, & animum cœlo semper intentum, nostræ tenuitas scientiæ nequaquam edicere vel saltem perpendere valet. Grave ducebat ullum tempus vacuum absque opere Dei transigere; sed orationi lectio, lectioni semper apud illum successit oratio. Et, si aliquid accessisset, quod eum ab oratione impedire videretur, semper tamen quæ justa sunt agens sine intermissione sentiendus est orasse, ut Beatus docet *Augustinus:*** *Illi*, inquit, *qui in divino versatur officio*

* Adalgarius Frater Corbejensis S. Rimberto adjungitur moderator Monasticæ Regulæ.

** Augustin. lib. 2. quæst. Evangel. c. 11.

cio, omnia gesta ejus dictaque pro oratione reputantur.

CAPUT XIII.

Quomodo S. Rimbertus vigilias & jejunia observârit.

VIgiliarum usum moderanter agebat, abstinentiæ modum ita exercuit, ut semper illi essent quotidiana jejunia, & refectio sanitatem * fugiens. In quo scilicet hoc attendebat, ut juxta Beatum *Hieronymum* ** ita corporis frangeret appetitum, ut tamen ad lectiones & Psalmodiam atque ad Altaris ac Pontificatus sui officium vires ei non deficerent. Nihil enim prodest, ut ait idem Hieronymus, biduo triduoque vacuum portare ventrem, si pariter obruatur, si compensetur saturitate jejunium. Illico enim mens repleta torpescit, & irrigata humus spinas libidinum generat. Quod vir Dei ut diximus in se cavere volens, moderamen jejunii ita custodivit, ut Dominus in Evangelio Judæos arguens, quod nec Johannem jejunantem nec ipsum manducantem & bibentem susciperent, subjecit dicens. *Et justificata est sapientia à filiis suis:* *** ostendens per hos filios sapientiæ intelligere, nec in abstinendo nec in manducando esse justitiam, sed in æquanimitate tolerandi inopiam, & temperantiam per abundantiam non se corrum-

K 5 pen-

* Forte, saturitatem.

** Epist. 22. ad Eustoch.

*** Matth. XI, 19.

pendi atque opportune ſumendi vel non ſumendi ea quorum non uſus, ſed concupiſcentia reprehendenda eſt.

CAPUT XIV.

De cura pauperum & eleemoſynis S. Rimberti.

QUia vero etiam ad uſus & ſuſtentationes pauperum, Beatæ memoriæ deceſſor ſuus inſtitutum habebat, in nullo hoc ipſe diſjecit, ſed omnem curam & diligentiam adhibebat, ut omnia ad id ſtatuta nullum ſuis temporibus caperent detrimentum, ſed potius ſuo quotidie ſtudio his aliquid adderetur. Erat enim pro indigentium levamine Hoſpitale *f*) conſtitutum in Epiſcopatu ejus, ad quod tanta ſubſidiorum ſufficientia deputata eſt, ut nusquam copioſius vel ſapientius hoc ipſum procuratum eſſe ſciamus.

f) Hoſpitale ejus adhuc Bremæ extra portam orientalem in ſuburbio extat: quod quia & lapideum eſt & vetuſtate ruinoſum, perpetua refectione indigens, putarim illud ipſum eſſe, quod S. Rimbertus olim conſtruxerit: ſed non videntur tam copioſi jam illius Hoſpitalis redditus eſſe, atque hic deſcribuntur. Templum autem ejusdem nominis, quod proximè eſt, olim neſcio quâ fortunâ combuſtum dicitur, & jam aliud ſed ligneum, pulcrum tamen cum habitatione Miniſtri conſtructum eſt. Magnus ad illud populi concurſus eſt, pertinentibus ad illud plerisque villicis, qui ex parte circa urbem habitant, qui vel tres pagos æquare poſſint; & ſolent æſtivo tempore ſudo cœlo multi quoque ex urbe ibi comparere.

mus. Sed & extra Episcopatum, ubicunque fuisset, semper constitutos habebat, qui pecuniam in saccellis ad dandum pauperibus gestarent, ipseque ad hoc ipsum in zona sua *g)* marsupio cum nummis semper utebatur, ut si quando dispensator Eleemosynæ suæ in adventu egentis deesset, ipse sine mora haberet quod daret. Inerat enim ei sollicitudo, ne quis talium à se sine levamine abscederet, suisque similia jugiter adhortationem faciens, dicere solebat: *Non tardandum est ut cunctis pauperibus succurramus, quia quis sit Christus vel quando ad nos veniat, ignoramus.*

CAPUT XV.

Diligentia ejus & assiduitas in prædicando verbum Dei.

INterea juxta ammonitionem Beati *Gregorii* etiam eleemosynam verbi incessanter agens doctrinæ salutaris studio jugiter instabat, recolens quod idem ait Doctor: * *Plus esse ut verbi pabulo*

g) Quod de S. Ansgario vitæ ejus cap. 30. narratur, quod in Zona propria semper saccellum cum nummis habuerit, ut absente dispensatore suo pauperibus sine mora aliquid daret, hoc ab eo didicit perpetuus conversationis ejus comes & successor S. Rimbertus, qui idem fecit, & addit memorabile hoc dictum: *Non tardandum est ut cunctis pauperibus succurramus, quia quis sit Christus vel quando ad nos veniat, ignoramus.* Significans, Christum non raro sub pauperis figura suis fidelibus apparere.

* Homil. VI. in Evangel.

bulo victura, in perpetuum mens reficiatur, quam venter moritura carnis pane terreno satietur. Hujus rei gratia *excerptum,* legentibus utile *de libris Sancti Gregorii* fecit, & propria manu conscripsit, *Epistolas*que nonnullas ædificationis plenas ad diversos composuit, quarum una est ad quandam Dei ancillam in Monasterio quod dicitur *Heresi* * constitutum, cæterasque Sorores ibidem in Dei famulatu consistentes. Hæc autem famula Dei de qua loquimur, neptis erat venerabilis Episcopi *Luithardi;* cujus supra mentionem fecimus, qui se Sancto viro cum omni devotionis affectu ita devinxerat, ut non solum ipse Sanctitatis ejus amator existere, verum etiam omnes ad se quoquo modo pertinentes illi commendare studuerit, præcipue istam de qua loquimur ab infantia Deo oblatam & in virginitate permanentem neptem suam, quæ & propria devotione promeruit, ut unicam dilectionis suæ filiam vir Sanctus eam nominare solitus sit. Quæ licet nomen suum **vitandæ jactantiæ caussa palam nolit edici, ipsam tamen ad ædificationem sacris virginibus, quamvis tacito nomine ejus ad quam specialiter scripta est, hic ponere decrevimus Epistolam ita se habentem:

* Heresi monasterium virginum, vulgo *Nienheerse* tertio lapide à civitate Paderbornensi.

** Sanctorum in occultandis & nominibus suis humilitas.

CAPUT

CAPUT XVI.

Epistola S. Rimberti ad quasdam virgines Moniales.

CArissimæ filiæ, cæterisque virginibus & sponsis Christi Rimbertus, gregis Dei vilis Servulus in Domino salutem. Frater *Adalgarius* nuper â vobis rediens, dixit mihi, graviter vos ferre, quod parvitatis meæ literas raro suscipiatis. Quod modo mihi emendare cupienti quid scribere debeam nihil convenientius occurrit, quam ut vos de vestræ Sanctitatis commoneam proposito. Si igitur ad sublimissimam gloriam vultis pervenire, omni virtute incorruptionem corporis ac spiritus excolere debetis. Interioris enim fotu ac pabulo puritatis subministrari necesse est etiam exterioris hominis castitatem, eamque jugiter ad perseverantiam perpetuæ incorruptionis animari. Illæ namque sunt veræ atque incorruptæ virgines Christi, non quæ metuunt, sed quibus non libet fornicari. Quod donum, si per Dei gratiam adeptas vos senseritis, quanto magnæ estis, ut sacra monet Scriptura, * humiliate vos in omnibus, & coram Deo invenietis gratiam. Eâ enim viâ pervenire debetis ad Christum Dominum & Sponsum vestrum, quia ipse dixit: ** *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Curandum itaque est, ut omni custodia mens servetur à superbiæ tumore,

* Sirach. III. 20.
** Matth. XI. 29.

re. Non enim ante oculos Dei vacuæ transvolant cogitationes veſtræ: intus ergo videt Deus quod mentem elevat, & idcirco foris permittit invaleſcere quod deponat. Hinc quippe per Oſee * contra Iſraelitas dicitur: *Spiritus fornicationis in medio eorum & Dominum non cognoverunt.* Qui ut oſtenderet, ſicut dicit Beatus *Gregorius*,** quod cauſa libidinis ex culpa prorumpat elationis, mox ſubdidit dicens: *Et reſpondebit arrogantia Iſrael in faciem ejus*, ac ſi diceret. Culpa quæ per elationem mentis in occulto latuit, per carnis luxuriam in aperto reſpondebit. Proinde per humilitatis cuſtodiam ſervanda eſt munditia caſtitatis. Si enim Spiritus ſub Deo premitur, caro illicite ſuper Spiritum non levatur. Habet quippe Spiritus commiſſum ſibi dominium carnis, ſi tamen ſub Domino recognoſcit jura legitimæ ſervitutis. Nam ſi auctorem ſuum ſuperbiendo contemnit, jure & à ſubjecta carne prælium ſuſcipit. Hinc eſt enim quod longa continentia repente ſolvitur, hinc quod plerumque & usque ad ſenium virginitas ſervata vitiatur. Quia enim negligitur humilitas cordis, rectus judex deſpicit etiam integritatem corporis. Et quandoque per apertum malum reprobos annunciat, quos dudum reprobos in occulto tolerabat. Nam qui diu ſervatum bonum ſubito perdidit, apud ſemetipſum intus aliud malum tenuit, ex quo aliud ſubito erupit. At per

* Oſeæ V, 4.
** S. Gregor. XXVI. 18. in Jobum.

per hoc Omnipotenti Deo etiam tunc alienus extitit, quando se ei per munditiam corporis inhærere monstravit. Hæc ergo, filiæ, non ideo scribo, quod in vobis quicquam de qualitate superbiæ vel vanæ gloriæ cognoverim, sed quia vos opto in illarum consortio esse, de quibus legitur: * *Quoniam sequuntur Agnum quocunque ierit.* Ubi multos cecidisse doleo, vos caute ambulare desidero, optoque ut dicat vobis Dominus & sponsus vester: ** *Tota pulcra es, amica mea, & macula non est in te.* Itaque sequimini hic Agnum in præceptis suis, ut ipso auxiliante illum sequi valeatis in æterna vita, cantando canticum, quod nemo potest dicere nisi chorus virgineus. Hæc pulcre Beatus Augustinus *** virgines ammonendo exposuit: *Pergite*, inquit, *Sancti Dei, pueri & puellæ, mares ac fœminæ, cælibes & innuptæ, pergite perseveranter in finem. Laudate Dominum dulcius quem cogitâstis uberius, sperate felicius, cui servitis instantius: amate ardentius, cui placetis attentius. Lumbis accinctis & lucernis ardentibus expectate Dominum, quando veniat à nuptiis. Vos afferetis ad Agni nuptias canticum novum quod cantabitis in citharis vestris, utique tale quale nemo poterit nisi vos. Sic enim vos vidit in Apocalypsi quidam præ cæteris dilectus Agno,* qui discumbere super pectus ejus solitus erat. Ipse vos vidit duodecies duodena millia Sanctorum citharædorum illibatæ virginitatis in corpore,*

* Apoc. XIV. 4.
** Cantic. IV. 7.
*** S. Augustin. de sacra virginitate cap. 27.
* Johannes Apocalyps. XIV. 2.

re, inviolatæ veritatis in corde. Sequimini Agnum, quia & Agni caro utique virgo. Sequimini eum virginitate cordis & carnis, quocunque ierit. Quid est eum sequi, nisi imitari? de quo Beatus Petrus: * *Christus*, inquit, *Jesus passus est pro vobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.*

Hanc Epistolam ideo hic posuimus, ut legentibus appareat, quantum, sicut ammonet Apostolus ** studium habuerit ejus quæ secundum pietatem est doctrinæ, & quã potens fuerit in ipsa doctrina etiam alios exhortari.

CAPUT XVII.

Quomodo Legationi suæ ad Gentes & ipse & per suos satisfecerit.

PRæterea Legationis suæ officium quod ad prædicandum Gentibus Verbum Dei primitus à decessore suo susceptum est, & postmodum sibi successionis jure quasi hæreditarium provenit, impigre exsecutus est, ipse quidem per se, quoties occupationes aliæ sinerent, eidem Legationi insistens, semper autem constitutos habens Presbyteros; per quos & verbum Dei Gentiles audirent, & solatium captivi Christiani haberent, ad Ecclesias inter ipsos paganos constitutas longe ab Ecclesia Sedis suæ, quodque gravissimum erat marinis discriminibus adeundas. Quæ discrimina ipse frequentius & abundantius sustinens, sæpe tanquam de se testabatur Apo-

sto-

* 1. Petr. II, 21.
** 1. Tim. VI. 3.

ſtolus * naufragium pertulit, ſæpe in proximo erat, ut cum eodem dicere poſſet: *Nocte & die in profundo maris fui.* Sed profecto aderat ei Spiritus Sanctus, qui in exterioris hominis corruptione interiorem renovaret de die in diem, & ſpe futuræ beatitudinis omnia præſentis vitæ aſpera deliniret, & gravia relevaret. Conſolabatur enim continua meditatione ſermonis Apoſtolici: ** *Quia non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* Ac ſic quæcunque fierent dura laboranti, miteſcere ſolebant eadem propter Chriſtum ſuſtinenti.

CAPUT XVIII.

Quomodo captivos redemerit.

AD redemptionem captivorum cunctis pene quæ habebat expenſis, cum multorum adhuc apud paganos detentorum miſeriam cernere cogeretur, etiam*** Altaris vaſa ad redemptionem eorum impendere non dubitavit. In quo dum quibusdam minus ſublimiter intelligentibus non recte videretur feciſſe, quaſi ad alios uſus redigeret, quæ ſacris erant deputata Myſteriis, & à quodam interrogatus fuiſſet, quare ita faceret? juſta ratione ſciſcitanti ſatisfaciens: Non ignoro, inquit, res Eccleſiaſtici officii digne eſſe tractandas, & ſub magna fore obliga-

L

* 2. Cor. XI, 25.
** Rom. VIII, 18.
*** S. Rimbertus etiam vaſa ſacra pro captivis Chriſtianis liberandis impendit.

gatione ad hoc opus depositas. Veruntamen plus est apud Deum per hæc subveniri captivis Christianis in angustia constitutis, quam esse possit depositum ista custodiendi. Et si necessitas incubuerit duorum bonorum unum eligere & alio carere, oportet assumere quod est melius, & relinquere quod habetur inferius. Unde & ego, ait, cum nullum aliud habeo consilium, non impie ago, si Christianum qui filius Dei est, cum thesauris Ecclesiæ redimo: cum & semper invenire possimus quod ad usum sacri sufficiat Ministerii, irrecuperabile autem sit, si Christianus in captivitatis afflictione deficiat.

CAPUT XIX.

Quomodo captivam Sanctimonialem liberaverit.

EXempli autem causa, unum de hujuscemodi factis commemoramus, in quo non minus in potentia miraculi, quam in opere misericordiæ refulsit. Cum venisset quadam vice ad partes *Danorum*, ubi Ecclesiam novellæ Christianitati constructam habebat, in loco qui dicitur *Sliaswich*, vidit multitudinem Christianorum catenatam trahi captivam. Inter quas una Sanctimonialis, *b*) ut eminus illum conspexit, cum genu

b) Hanc liberationem unius Monialis captivæ Johannes Adolphus Cypræus Annal. Episcop. Slesvicens. cap. 4. ad totam illud multitudinem captivorum ampliat, & addit a Slesvicensibus ductos fuisse, item propter fidem

genu flexione & crebra capitis inclinatione tam illum venerari, quam ejus misericordiam pro sua redemptione precari videbatur. Et ut eam intelligeret fuisse Christianam, elevata altius voce cœpit cantare Psalmos. Episcopus autem miseratione commotus, divinitus eam adjuvari cum lacrymis orabat. Ad cujus preces mox disrupta est catena de collo ejus quæ vincta tenebatur. Ne tamen ipsa aufugeret, eam inter manus habentes pagani facile obtinebant. Tum Sanctus Episcopus anxio de illa motus affectu, tenentibus eam paganis plura diversi generis precia pro ipsa cœpit offerre. Sed illi nullam conditionem suscipere volebant, nisi suum daret eis equum quo ad propriam sellam uti solebat. Quod ille facere non detrectans, repente

L 2 disi-

fidem mergendos fuisse in Slia, denique quod hic in præcedente capite generaliter de perpetuis actibus S. Rimberti dicitur, quomodo captivos etiam thesauris templi & vasis altaris redemerit, ille ad hunc actum Slesvici singulatiter exercitum refert. Et certe ego ipse considerans miratus sum, quæ hæc misericordia capti vos liberandi esset, ex multitudine quæ ducebatur unam tantum Monialem redimere, reliquis vel servituti vel suppliciis relictis? Sed vel ipsi non petiverint liberationem pro fide pati parati, vel ipse ad redimendos eos non habuerit satis quod daret, aut si omnes redempti sunt, noster tamen Autor hoc capite id quod singulare est Monialis exemplum recitat, equo & ad eum pertinentibus redemptæ; κειμήλια Ecclesiastica quæ secum habebat pro reliquis dederit, sic ut capite præcedente tactum est,

dissiluit de equo, & cum omni quam ipse ad eum habuit paraturâ pro eadem dedit captiva, redemptamque libertate donavit, & quo vellet abire permisit: duplex ut diximus per factum hoc de se memoriale laudis relinquens, quod & virtute orationis suæ catenam fregerit, & simul hoc insigne opus misericordiæ demonstraverit.

CAPUT XX.

Quomodo S. Rimbertus mansvetus simul & severus fuerit.

PRoinde juxta præceptum Apostoli, * quo Servum Domini jubet mansvetum esse ad omnes, ita vixit ut suis temporibus nullus sicut ipse Mosaicum ** illud assimilaverit, quo vir mitissimus super omnes homines fuisse describitur. Aliquoties tamen sine ullo ejusdem mansuetudinis detrimento, ita inquirendis vel discutiendis causis constans ac fixus in sua sententia mansit, ut à nemine possit in aliud deflecti. Quod autem diximus absque mansvetudinis detrimento hoc fieri, tam veraciter in illo adimpletum est, ut nil unquam iracundiæ vel commotionis contradicentibus ostenderit, vel verbis asperis contra eos egerit, sed familiaribus colloquiis & delectabili continentiæ gestu, cunctis sit amabiliter exsecutus quicquid intendebat. De ea tamen, quæ illi inerat inflexibilita-

ta-

* 2. Tim. II. 24.
** Num. XII, 3,

tate animi, à quodam familiarius interrogatus quæ infra habentur exposuit: Quæcunque, inquit, agere debeo, vel omittere, seu de omnibus futuris mihi eventibus, præsagium * semper capio ex visionibus Domini ac decessoris mei Ansgarii. Solet enim mihi ipse apparens in qualitate vultus sui ostendere, qualiter me immiscere debeam rebus agendis, & quicquid de illo sentio, nullam ad hoc exsequendum dissimulationem facere possum.

CAPUT XXI.

De Miraculis S. Rimberti, corporalibus & spiritualibus.

FErtur etiam antiquorum more Sanctorum quædam fecisse Miracula, frequenter videlicet dum iret ad Sueoniam, tempestatem maris orationibus suis sedasse, cæci cujusdam oculos illuminasse per Confirmationem quam Episcopali more cum Chrismate in eodem faciebat. Sed & filium quendam Regis dicitur à dæmonio liberasse: cui etiam affirmationi hoc astipulari videtur, quod multis astantibus Episcopis clamor ab ore vexati sæpius sonabat, Rimbertum solum inter eos digne commissum egisse officium, ipsumque sibi esse cruciatui, auctor vocis testabatur. Sed quia nostris temporibus ut dicit Psalmista,** defecit Sanctus & diminutæ sunt vrita-

* S. Rimbertus à S. Ansgario sibi apparente sæpius monetur.

** Psalm. XI. 2.

ritates à filiis hominum, nec facile accipitur quemque ex modernis viris talia fecisse, sufficiat nos hactenus comprobasse, quod hic vir Domini Sanctitatis apicem conscendit, per has virtutum species, quas in Evangelio Dominus ad beatitudinem promerendam proponit. * *Beati*, inquiens, *pauperes spiritu*, &c. de octonario virtutum catalogo, quo significatur per resurrectionis gratiam spei nostræ implendæ perfectio. Nec miracula illi defuerunt spiritualia, quæ etiam nunc in Ecclesia à fidelibus fieri testatur Beatus *Gregorius* exponens verba Domini, dicentis. ** *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur, in nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint non eis nocebit, super ægros manus imponent & bene habebunt.* Sed de his singulis expositionem præfati Doctoris percurrere longum est & non necessarium, cum homilia hæc continens in promptu habeatur, ad quam nos Lectorem mittentes cœptum opus de vita Domini Rimberti consummare debemus.

CAPUT XXII.

S. Rimbertus constituit sibi Adalgarium in Coadjutorem & successorem.

CUi, cum jam senio gravari cœpisset, etiam continuus pedum dolor ad molestiam ei accessit: unde apud gloriosum primo Regem *HLu-*

* Matth. V.
** Marc. ult.

HLudowicum quo commendante Episcopatum accepit, & postea apud filios ejus *HLudowicum* & *Carolum* hoc obtinuit, ut insignis vir *Adalgarius* Monachus videlicet de Monasterio novæ Corbejæ ut supra retulimus, illi præstitus, ita in adjutorium illi confirmaretur, quatinus dum sese quælibet infirmitas præpediret, in ipso haberet solatium circandi Episcopatum, Placita adeundi,& quando exigeretur in expeditionem, vel ad Palatium cum comitatu suo proficiscendi. Nec multo post electionem succedendi sibi in ipso confirmari, & per manus acceptionem hominem Regis illum fieri, & inter Consiliarios ejus collocari obtinuit; assentientibus Abbate & Fratribus Monasterii ejus ac sancta Synodo hæc omnia roborante. Posthæc etiam velut expeditior à negociis secularibus omni instantia cotidie ampliare satagebat, quicquid boni prius exercuit. Nec diu postea in hac vita duravit, cujus transitus ad Dominum subjuncto ordine factus esse perhibetur.

CAPUT XXIII.

S. Rimbertus nunciat instantem mortem suam ex præsagiis, & una Visione mira quam habuerat.

ANno pene integro ante obitus sui diem quibusdam fidelibus suis secretius intimavit, multa sibi ostensa fuisse signa quibus præsciret se in hac vita non diu mansurum, & quod

eos quibus hæc loquebatur in hac vita ultra non esset visurus: Quædam, inquit, hujus rei præsagia mihi venerunt, quæ mihi non licet aliis indicare; Visionem * tamen hac nocte mihi ostensam vobis refero, quâ evidentissime discessum meum præfiguratum esse intelligo. Videbatur enim mihi quod in Ecclesia quadam muro firmissimo per medium intersepta, ego ex una parte muri fuissem, ex altera vero teneretur Dominus & decessor meus Ansgarius; conspexique innumerabilem turbam utriusque sexus, more quærentium aliquid hac illacque converti, nec quicquam ex eo quod quærebant potuisse inveniri: Quibus Dominus Ansgarius, Quid, inquit, quæritis? At illi se annulum meum quæsisse respondentes, audierunt rursum ab Episcopo; ut cessarent eum quærere, quando ipse secum esset illum habiturus. Hæc dum quibusdam, ut diximus, narraret Dominus Rimbertus, ex hoc multisque aliis indiciis asseruit, se esse certificatum quod eodem anno de hac vita foret exiturus. Et ut memoria ejus, audientium animis per verba quæ recedens diceret, artius imprimeretur, hoc quod etiam ab eis amari noverat ammonitiones eis salutares fecit, non mediocriter verbis ejus in gratiam ædificationis profluentibus. Posthæc valedicens illis discessit ab eis, nec ulterius, ut ipse prædixit eum viderunt. Qualiter autem somnium hoc quod modo protulimus, evidenti effectu in obitu ac de-

* Explicationem hujus Visionis habes infra cap. 25.

depositione ejus, ut ipse intellexerat, completum sit, congruè eo loco enarrabimus quo commemorandum erit qualiter anima ejus ad cœlos sublevata sit, & quomodo corpus ejus sepulturæ traditum habeatur.

CAPUT XXIV.

Ægritudo, pietas & mors S. Rimberti.

Duodecim igitur diebus ante transitum suum perveniens ad Ecclesiam Bremensem ipso mox die infirmitate correptus est. Cumque per omnes horas infirmitas graviter crescerer, ipse semper Psalmodiis & Lectionibus sacris intentus, se se ad futurum de hac vita transitum sollicite præparabat. Et quamquam languoris immanitas corporeis viribus defectum ingeneret, animo tamen semper invictus Apostolicam prætendebat fortitudinem, de qua dicit: * *Quando enim infirmor, tunc potens sum.* Septimo ante obitum die ministerium sacræ Unctionis cum Oleo sancto ei fieri cœpit, & una cum Communione Corporis & Sanguinis Domini, ** usque in diem animæ exeuntis de corpore hoc salutare remedium omni die percepit. Et cum jam migraturus esset de mundo, convocatis Presbyteris, & universis Fratribus veniam petivit de omnibus quæcunque fortassis in aliquem illorum peccasset. Et cum ipse vicissim

* 2. Cor. XII, 10.

** S. Rimbertus post unctionem sacram septem continuis diebus quotidie S. Communionem accepit.

cissim reconciliationem fecisset omnibus Christianis, à quocunque in eum aliquid commissum fuisset, veniamque eis à Domino popofcisset, percepto Corpore & Sanguine Domini sacram animam emisit. Tum vero incredibilis gemitus omnium subsecutus est, maxime pauperum, has inter fletus voces emittentium: Væ nobis Pater Sancte quomodo jam post te vivemus, tuis eleemosynis in victu & vestitu hactenus sustentati? à quo deinceps hæc merebimur? Sed tibi, inquiunt, Christe supplicamus, ut anima Servi tui sentiat te nunc memorem dictorum tuorum, quibus promittere dignatus es à te esse remunerandum quicunque uni ex minimis tuis aliquid solatii in nomine tuo fecisset.

CAPUT XXV.

Locus sepulturæ S. Rimberti & prioris visionis explicatio.

IPse autem vir DEi cum adhuc viveret, humilitatis intuitu præcepit ne in Ecclesia sepeliretur: quod præceptum transgredi non audentes Fratres Ecclesiæ illius sepelierunt eum foris Basilicam prope tumbam Sancti Willehadi extra murum i) Ecclesiæ Orientalem. Ipsumque se-

i) Cum S. Willehadus ex sua Basilica ubi primum sepultus erat in alteram translatus sit Basilicam temporibus Willerici Episcopi successoris sui cap. 21. vitæ ejus, quomodo potest hic dici quod S. Rimbertum ad præceptum ejus Fratres Ecclesiæ illius sepelierint foris Ba-

ſepulcrum poſtea ſuper exſtructo, & in honorem Sancti Michaelis Sanctorumque Martyrum Stephani atque Viti dedicato Oratoriolo, adornavit (vir) Adalgarius, de quo ſupra * diximus, qui & Sancto viro ſucceſſit in Pontificatum. Sicque completa eſt viſio ſupra ** memorata, de ſuą & Domni Ansgarii in una Eccleſia detentione, ſed muri medii interpoſitione ipſis ad invicem ſejunctis. Eſt enim præfatum Oratoriolum contiguum antiquæ Eccleſiæ, muro tantum ejus Orientali ex uno in aliud aditum intercludente & in ipſo, ut diximus, novo Oratoriolo Domnus Rimbertus ſepultus eſt, in antiqua vero Eccleſia Domnus Ansgarius requieſcit. Et hoc eſt, quod ipſe in Viſione ipſa dixiſſe videbatur, quod annulum Domni Rimberti ſecum habiturus eſſet, ipſo videlicet Domno Rimberto per fidem & operationem bonam perfecto, non longe poſt cum ipſo conjungi debente, tam in vicinitate ſepulchri, quam beatæ requiei perceptione; ſicut olim ipſe divino ſpiritu revelante prædixit. Per annulum quippe fides ſignificatur, qua nobis imago DEi exprimitur, & quia ipſo manus ornari ſolent, quibus operatio deſignatur, recte per hoc

Baſilicam, prope tumbam S. Willehadi extra murum Eccleſiæ orientalem. Niſi forte dici poſſit, quo loco S. Willehadi corpus intra Eccleſiam jacet, eo loco S. Rimberti extra Eccleſiam intercedente muro poſitum eſſe.

* Cap. XXII.
** Cap. XXIII.

hoc ostenditur, ornamento fidei bonum opus semper inesse debere. Quod quia Domnus Rimbertus in sua conversatione commissis sibi semper exhibuit, recte in præsagio mortis ejus multitudo plebis annulum ejus quæsisse ostensa est, per quod significatum est, tempore mortis ejus eos qui illi fuére commissi anxie desiderare, ut adhuc exemplis in illo perspectis perfrui mererentur. Sed hoc jam fieri non posse tempus expetebat requiei ejus, quam Episcopus Ansgarius plebem à quærendo annulo compescens significavit, dum eum diceret secum esse habendum.

CAPUT XXVI.

Miraculum ad Sepulcrum S. Rimberti.

SUspensa est etiam super sepulcrum ejus lampas lignea, ut lumen continuum in ea ibidem haberetur: subtus ipsam vero in superficie sepulcri velamen jacebat expassum in quo fertur præclarum contigisse Miraculum; quod in quantum ex relatione narrantium, vel memoria vel intellectu retinemus, ita gestum esse constat. Contigit quadam nocte conflagrasse eandem lampadem, ac primo crebros carbones decidisse ex illa super velum memoratum, atque illico subsequi etiam casum totius lampadis, ipsamque supra idem velum totam comburi absque ulla læsione ipsius veli. Quod nulli dubium esse debet ad declaranda merita Servi

sui

ſui Chriſtum feciſſe; qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat in æternum.

CAPUT XXVII.

Subſcriptiones k) *Epiſcoporum.*

Slepn. Epiſcopus Scalternoldenſis.
Symon Epiſcopus Halſinodenſis.
Torolfus Epiſcopus Blaſeonenſis.
Eilbertus Epiſcopus Farrienſis.
Heribertus Epiſcopus Wibergenſis.
Ratolfus Epiſcopus Scleſvvicenſis.
Chriſtian Epiſcopus Aruſenſis.
Otto Epiſcopus Ripenſis.
Magnus Epiſcopus Wendilenſis.
Adalvardus Epiſcopus Scarenſis.
Albericus Epiſcopus Wendilenſis.
Willehelmus Epiſcopus Selandenſis.
Ezzo Epiſcopus Aldenburgenſis.
Ecilinus Epiſcopus Scarenſis.
Syvvardus Epiſcopus Norvvegenſis.
Egino Epiſcopus Dolboigenſis.
Adalbardus Epiſcopus Sictunenſis.
Johannes Epiſcopus Bircacenſis.
Thiedolfus Epiſcopus Sictunenſis.

k) Subſcriptiones Epiſcoporum non videntur ad ſolam Vitam S. Rimberti pertinere, ſed ad Vitas omnium trium hoc Volumine deſcriptorum. Eſt enim per omnia unum genus pergamenti & una manus: quod quorundam locorum diverſi Epiſcopi ſubſcripti etiam ſignificare videntur, quorum alii alio tempore fuerunt in eodem loco.

APPEN-

APPENDIX *l*)

Epistolarum & Decretorum, Papalium, Imperialium & Episcopalium pro superioribus illustrandis & confirmandis.

Epistola S. Ansgarii. *)

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Ansgarius gratia Dei Archi-Episcopus, omnibus Sanctæ Dei Ecclesiæ Præsulibus in Regno duntaxat Ludovvici Regis commanentibus.

Nosse vos cupio, quia in hoc libello continetur, qualiter *Ebo Rhemensis Archi Episcopus* Domini Ludovvici Imperatoris, cum consensu ipsi-

l) Appendix hæc est in alio magis novo & meliore pergamento, alia etiam manu scripta quam priores Vitæ, & apparet ad oculum ex primo & ultimo folio & maculatione eorum, quod alia fuerit compactura quâ inveteratâ & lacerâ, hæc nova quæ tamen jam satis antiqua est, sit cum hac Appendice confecta. Ut ita hæc Appendix sine dubio ex admonitione S. *Ansgarii* in sua Epistola fluxerit, qua rogat ut literas quas *Ebo* Rhemensis Archi-Episcopus cum consensu *Ludovici* Imp. à Papa *Pascali* obtinuit pro licentia ad partes Aquilonares evangelizandi causa eundi, in multa exemplaria describant, in Bibliothecis ad perpetuam memoriam reponant, & successoribus istud notum faciant. Quod de aliis literis quales in hac Appendice habemus postmodum etiam factum est.

* *Occurrit hæc Epistola etiam ap. Jo. Bollandum T. I. Actor. Sanctor. Februarii p.* 404.

ipſius ac pene totius Regni ejus Synodi congregatæ, Romam adiit; ibique à Venerabili Papa *Paſcali* publicam Evangelizandi licentiam in partibus Aquilonis accepit. Et qualiter poſtea *Ludowicus* Imperator hoc opus ſublimavit; ſeque in omnibus largum præbuit, & benevolum, & cætera quæ huic Legationi contigerunt. Quapropter ſuppliciter deprecor, ut apud Deum intercedatis, quatenus hæc Legatio creſcere & fructificare mereatur in Domino. Jam enim Chriſto propitio & apud Danos & apud Sueones Chriſti fundata eſt Eccleſia, & Sacerdotes absque prohibitione proprio funguntur officio. Precor etiam ut has literas in Bibliotheca * veſtra ad perpetuam memoriam reponi faciatis, & prout locus dictaverit tam vos quam ſucceſſores veſtri, ubi utilitatem perſpexeritis, notum omnibus iſtud faciatis. Omnipotens Deus faciat vos omnes hujus operis piâ benevolentiâ participes, & in cœleſti gloria Chriſti cohæredes.

Decretum Domini Papæ Paſcalis, ſuper miſſione Ebonis. m)

PAſcalis n) Epiſcopus Servus Servorum Dei; Univerſis Sanctiſſimis Fratribus Coëpiſcopis, Pres-

* Literæ Paſcalis Papæ in Bibliotheca ſervandæ.

m) Ebo Rhemenſis Archi-Epiſcopus, cujus in Appendice hac S. Anſgarius jam Archi-Epiſcopus in ſua Epiſtola Catholica mentionem fecerat, quem Paſcalis Papa,

Presbyteris, seu cœteris Ecclesiasticis Ordinibus gloriosissimisque Principibus, Ducibus, sive magnificis Comitibus vel cunctis Christianis Dei fidelibus. Cum religiosissimum constet, curam ac sollicitudinem erga Dominicum gregem &c. *Decretum hoc integrum obvium est non modo apud Bollandum, loco laudato, sed etiam in Erpoldi Lindebrogii Syntagmate Scriptorum Septentrionalium p. 185. edit. Hamburgensis, ante paucos annos à me curatæ. Itaque illud hoc loco omisi.*

pa, ut est in ejus Decreto, cum *Halitgario* socio ad Aquilonares miserat, cui etiam Gregorius IV. ut in ejus Decreto est, cum S. Ansgario Archi-Episcopo confirmato evangelizandi licentiam in toto Septentrione dederat; hic, inquam, Ebo non mansit constans, sed sic se gessit, ut etiam depositus sit; teste Baronio cujus hæc sunt verba: *Quod ad Ebonem Rhemorum Archi Episcopum pertinet, quoniam in eo quem susceperat Apostolatu ad Danos, non perseveravit: quodque molitionibus adversus ipsum Ludovicum Imp. infamatus postea fuit, & privatus est Episcopatu, penitus priorem gloriam obscuravit, adeo ut nequaquam ipse Danorum Apostolus sit appellatus, sed S. Ansgarius, qui non Danorum tantum sed & Aquilonarium Apostolus nominatus invenitur.* Hæc ad ann. Chr. 826. num. 37.

n) In fine Decreti Papæ Pascalis in Anathemate, omissa particula, &, omnem sensum turbabat, quam idcirco adjeci, sic: *& his vel cooperatoribus eorum*, intellige laborantes in fide propaganda per Septentrionem.

Præ-

Præceptum Divi Ludovvici Imperatoris, quod ad paganos ad Christianitatem invitandos fieri præcepit : (de S. Ansgario)

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Ludovvicus divina propitiante Clementiâ, Imperator Augustus. Si specialibus cujusque fidelium nostrorum necessitatibus perspectis, subveniendum esse Imperialis auctoritas monstrat, &c. *Hoc diploma integrum adscribere nihil putavi necesse, cum emendatius legatur in Erpoldi Lindenbrogii syntagmate Scriptorum septentrionalium p. 125. edit. Hamburgensis, & apud Lambecium lib. 2. Rerum Hamburgensium p. 354. Maderum in veteribus monumentis quæ Adamo Bremensi subjecit, p. 179. & Jo. Bollandum T. I. Act. Sanctor. Februarii p. 404.*

Exemplar Decreti Venerandæ memoriæ Gregorii IV. Papæ, de eadem re.

GRegorius Episcopus, Servus Servorum Dei. Omnium fidelium dinoscentiæ certum esse volumus, qualiter Beatæ memoriæ præcellentissimus Rex Karolus tempore prædecessorum nostrorum divino afflatus Spiritu Gentem Saxonum sacro cultui subdidit, jugumque Christi, quod suave ac leve est, adusque terminos Danorum sive Slavorum corda ferocia ferro perdomans docuit, ultimamque Regni ipsius partem trans Albiam inter mortifera pagano-

M rum

rum pericula constitutam, videlicet ne ad ritum relaberetur Gentilium, vel etiam: quia lucrandis adhuc Gentibus aptissima videbatur, proprio Episcopali vigore fundare decreverat. Sed quia effectum mors prohibuerat, succedente ejus præcellentissimo filio Ludovvico, Imperatore Augusto, pium studium sacri genitoris sui efficaciter implevit. Quæ ratio nobis per Venerabiles * Ratoldum sive Bernoldum Episcopos, nec non & Geroldum Comitem vel Missum Venerabilem relata est confirmanda. Nos igitur omnem ibi Deo dignam statutam providentiam cognoscentes, instructi etiam præsentiâ Fratris ** filiique nostri Ansgarii, primi Nordalbingorum Episcopi, per manus Drogonis Mettensis Episcopi consecrati sanctum studium magnorum Imperatorum tam præsenti auctoritate quam etiam Pallii datione more prædecessorum nostrorum roborare decrevimus: quatenus tanta auctoritate fundatus prædictus filius noster ejusque successores lucrandis plebibus insistentes adversus tentationes diaboli validiores existant. Ipsumque filium nostrum jam dictum Ansgarium, Legatum in omnibus circum quaque Gentibus Sueonum sive Danorum nec non etiam Slavorum vel in cæteris ubicunque illis in partibus constitutis divina pietas ostium aperuerit, una cum Ebone Rhemensi Archi-Episcopo statuentes ante corpus & confessionem Sancti Petri

* Ratolfus Bernoldus Episcopi, Geroldus, Comes.
** S. Ansgarii præsentia apud Gregorium Papam.

Petri publicam Evangelizandi tribuimus auctoritatem: ipsamque Sedem Nordalbingorum, Hammaburg dictam in honore Salvatoris Sanctæq; ejus & intemeratæ Genitricis semper Virginis Mariæ consecratam, Archi-Episcopalem deinceps esse decernimus. Consecrationem verò succedentium Sacerdotum, donec consecrantium numerus augeatur ex Gentibus, sacræ Palatinæ providentiæ interim committimus, Strenui vero prædicatoris personæ, tantoque officio aptæ, eligatur semper successio. Omnia vero à Venerabili Principe ad hoc Deo dignum officium deputata, patriâ etiam pia ejus vota auctoritate firmamus, omnemque resistentem vel contradicentem Anathematis mucrone percutimus, atque perpetuâ ultione reum diabolica sorte damnamus; ut culmen Apostolicum more prædecessorum nostrorum, causamque Dei pio affectu zelantes ab adversis hinc inde partibus tutius muniamus. Et quia te, Carissime Fili Ansgari, divina Clementia nova in Sede primum disposuit esse Archi-Episcopum, nos quoque * Pallium tibi ad Missarum solemnia celebranda tribuimus, quod tibi in diebus tuis, uti & Ecclesiæ tuæ perpetuo statu manentibus privilegiis, uti largimur. Idcirco hujus indumenti honor morum â te vivacitate servandus est. Si ergo pastores ovium sole geluque pro gregis sui custodia, ne qua ex eis aut errando pereat, aut ferinis lanianda morsibus rapiatur, oculis sem-

M 2 per

* Pallii acceptio & usus.

per vigilantibus circumſpectant; quanto ſudore, quantaque cura debeamus eſſe pervigiles nos qui Paſtores animarum dicimur attendamus: Et ne ſuſceptum officium in terrenis negociis aliquatenus implicare debeas ammonemus. Vita itaque tua filiis tuis ſit via*: in ipſa ſi qua fortitudo illis ineſt, dirigant, in ea quod imitentur aſpiciant, in ipſa, ſe ſemper conſiderando, proficiant, ut tuum poſt Deum videatur eſſe bonum, quod vixerint. Cor ergo tuum neque proſpera quæ temporaliter blandiuntur, extollant, neque adverſa dejiciant; diſtrictum mali cognoſcant, pium benevoli ſentiant. Inſontem apud te culpabilem malitia aliena non faciat; reum gratia non excuſet. Viduis ac pupillis injuſte oppreſſis defenſio tua ſubveniat. Ecce Frater Cariſſime, inter multa alia iſta ſunt Sacerdotii, iſta ſunt Pallii; quæ ſi ſtudioſe ſervaveris, quod foris accepiſſe oſtenderis, intus habebis. Sancta Trinitas Fraternitatem Veſtram diu conſervare dignetur incolumem, atque poſt hujus ſeculi amaritudinem ad perpetuam perducat beatitudinem.

Decretum Nicolai Papæ. o)

NIcolaus * Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Omnibus fidelibus Sanctæ Dei Eccleſiæ, præ-

* Hic eſt Nicolaus I.

o) In §. *igitur dum* omiſſa eſt vox *Eccleſia*, quod inde videas, quia ſequitur, *quæ huic contigua eſſe dicitur*, nempe Ham-

præsentis temporis ſcilicet & futuris. Quisquis Dominum & Redemptorem noſtrum Jeſum Chriſtum de ſinu Patris ad terram pro demonſtrandâ cordibus hominum verâ & certâ fide deſcendiſſe non dubitat, profecto non ignorat &c. *Hoc diploma Nicolai I. de conjunctione Ecclesiarum Hamburgensis & Bremensis A. C. 858. promulgatum, integrum occurrit apud Albertum Crantzium in Metropoli lib. I. cap. 38. seq. Erpoldum Lindenbrogium in Syntagmate scriptorum Septentrional. pag. 127. editionis Hamburgensis, (ubi in notis perperam pro diversa à me venditatur per memoriæ lapsum, quæ alteram Nicolai Epistolam ad Regem Daniæ, quæ infra statim sequitur, mihi repræsentabat.) Petrum Lambecium lib. 2. rerum Hamburgensium p. 338. Io. Bollandum in Actis Sanctorum Februarii Tom. I. p. 406. & Ioachimum Iohannem Maderum in Appendice veterum monumentorum quam Adamo Bremensi subjunxit: itaque supervacaneum duxi, illud præsenti loco repetere.*

Hamburg. Omiſſum etiam eſt nomen demortui Epiſcopi Bremenſis, dum vacaret locus, & Eccleſia cum Hamburgenſi uniretur. Non hunc *Willericum* fuiſſe, qui poſt S. Rimbertum Eccleſiam iſtam vel 50. annis rexit, hinc conſtat, quia poſt eum, de quo hic ſermo eſt, Epiſcopatus Bremenſis vacavit, & S. Anſgario ſimul atque Unioni locum dedit. Fuit ergo *Ludericus* ſeu *Leudericus* qui inter Willericum & S. Anſgarium interceſſit.

Epiſtola Nicolai Papæ * *ad Horicum Regem Daniæ.*

NIcolaus Epiſcopus Servus Servorum Dei: Horico Regi Danorum. Multas Omnipotenti Deo gratias egimus in adventu Fratris & Coëpiſcopi noſtri *Salomonis* qui miſſus à filio noſtro glorioſo Rege *Ludowico* & munera tua obtulit, & de fide tua quam etiam ante Baptiſmi gratiam per prævenientem Dei miſericordiam jam habere dinoſceris, nos plurimum exhilaravit. Et ideo levantes oculos ad eum qui ſolus eſt verus & unicus atque Omnipotens, inceſſanter pro ſalute ſua clementiam ejus ſuppliciter exoramus; ut qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, & Sancti ſui Spiritus illuſtratione caliginem Ignorantiæ vel infidelitatis è cordibus illorum qui credituri erant in nomine ipſius, ſua præveniente gratia diſſipavit, jamque in te miſerationis ſuæ opus oſtendere ſolita pietate curavit; ipſe quoque oculos tuos ad cognoſcendam veritatem aperiat, è pectore tuo ignorantiæ tenebras abigat, duritiam & velamentum cordis tui removeat, lumenque tibi veræ fidei ac religionis oſtendat, atque te ad ſuam attrahat cognitionem, & ad ſalutarem fontem & ad perenne Regnum & ad vitam perducat æternam; ubi eſt gaudium ſine mœrore, ſatietas ſine faſtidio, ſalus continua, vita indeficiens, pax non ha-

* *Extat etiam ap. Jo. Bollandum T.* I. *Act. Sanctor. Februarii p.* 407.)

habens finem & ſumma manet ſecuritas ac ſempiterna gloria: ubi videbitur Deus ſicuti eſt, & omnes juſti cum illo regnabunt, & regnum ipſorum nec terminis anguſtiatur nec præliis agitatur, nec fine concluditur, nec conſummatione finitur. Quod agnoſcentes nos qui fidem tenemus, & Chriſtiani vocamur, credimus in ipſum qui talem nobis vitam & regnum promiſit, ac multo amplius illi ſervimus & colimus pro illâ vitâ quam pro iſtâ, quæ tota miſera eſt, tota plena periculis, ubi eſt mœror continuus, ſatietas cum dolore, ſanitas brevis, vita mortalis, jurgia ac ſuſpecta ſecuritas, & cito deficiens gloria, uti ſcriptum eſt: * *Militia eſt vita hominis ſuper terram, & quaſi dies mercenarii dies ejus*: ubi, inquam, regnum breve eſt, & jugibus bellis concutitur, & poſt paululum de manu poſſidentis adimitur, dum etſi non virtute hominis, tamen conditione mortis aufertur. Deſine ergo Idola colere, & dæmonibus jam ſervire deſiſte: *Omnes enim Dii Gentium*, dicente Pſalmiſta, ** *dæmonia*; *Dominus autem cœlos fecit*. Itaque qui fecit & non qui factus eſt, Creator & non creatura colendus eſt. Ecce enim Idola tua manu facta, ſurda, muta & cœca ſunt, & quam tibi ſalutem poſſunt conferre, ipſe quæſo perpende, cum ſibimet nullum auxilium, cum ſint ſine ſenſu, valeant omnino præſtare. Deum igitur cole, ipſum adora, ipſi ſoli ſingularem ſervitutem impende, qui

 eſt

* Job. VII. 1.
** Pſal. XCV. 5.

est Omnipotens, omnitenens, inenarrabilis, immensus, infinitus, simplex, incommutabilis, incircumscriptus, immortalis, totus bonus, totus misericors, totus Sanctus: qui tibi & in hoc seculo auxiliari potest, & in futuro, beatificare; qui tibi post mortem vitam dabit, quæ non finitur, & regnum tribuet, si eum perfecte colueris, & amaveris, quod nesciat prorsus occasum, nec sentiat ullum sui status aliquando decrementum. Illuminator omnium Deus Omnipotens illuminet cor tuum & ad agnitionem suam perducere dignetur.

Epistola Sergii Papæ p) *ad Hogerum* q) *Archi-Episcopum Hamburgensem.*

SErgius Episcopus Servus Servorum Dei Reverendissimo & Sanctissimo Confratri nostro Ho-

p) De duabus his postremis in Appendice Epistolis, Sergii & Formosi, sic judico, *Sergius* ille non fuit Sergius II. qui Gregorium IV. seqvutus est, & S Ansgario adhuc vivente sedit; sed alius qui cum Formoso vixit. *Formosus* enim fuit legitimus Papa, cui Sergius ille per Schisma Antipapa oppositus fuit, homo nefarius & scelestus, qui in bonum Formosum multa mala congessit, adeo ut etiam in demortui corpus indignis modis sævierit. Videtur Sergius ille, quemadmodum in Pontificatu Schisma fecerat, sic in Archi-Episcopatu etiam Hamburgo-Bremensi facere voluisse; & sic *Adalgario* qui S. Rimbertum proxime sequitur & ipso adhuc vivente designatus, ac postea confirmatus fuerat, Anti-Episcopum *Hogerum* vel *Hoyerum*, opponere voluisse, Quæ res cum ei ex voto non

Hogero Archi-Episcopo Sanctæ Hammaburgensis Ecclesiæ. &c. *Hanc Epistolam A. C. 911. à Sergio III. datam, qua cum Pallium ei transmisit, præsenti loco omisi, quia obvia est apud Lambecium lib. 2. de rebus Hamburg. p. 429. seq. & Maderum in antiquis monumentis Ada[illegible] [illegible]remensi subjunctis p. 102.*

non procederet, Coadjutorem ejus eum fecit, cui & defuncto in Archi-Episcopatu successit. Cur autem cum diu ante illa Unio Hamburgensis & Bremensis Ecclesiarum ab Imp. Ludovico Juniore in perpetuum instituta, à Papa Nicolao ejus nominis I. sub Anathematis fulmine confirmata, & sic quoque à Guntha[illegible] Archi-Episcopo Coloniensi approbata esset: cur, [illegible]quam, postea aut *Hermannus* Archi-Episcopus *Colòniensis* novam litem movere, aut Formosus Papa Adalgarium Archi Episcopum Hamburgo-Bremensem increparet & novam Dispensationem super hac re, contrariam prioribus decretis, quod in Epistola sua fecit, statuere voluit? Prætenditur æquitas & litis finitio, sed isto modo priores iniquitatis insimulantur, & jam conditionate accipitur, quod illi simpliciter statuerant. Nec sortita est Formosi Dispensatio optatum finem: utpote Bremense Ecclesiâ Archi-Episcopatum Hamburgensem adhuc obtinente. Et quod Hamburgensis Ecclesia per Bremensem *Coloniensi* fecerat, idem postea *Lundinensis* per tria integra Regna Hamburgensi factitavit, adeo ut nisi Hamburgensis in Bremensem transiisset, penitus intercidisse potuisset.

q) In fine Epistolæ Sergii Papæ ad Hogerum Archi-Episcopum Hamburgensem interjecta est vocula, *tu* sic: *Sergii Summi Pontificis & universitatis tu Papa VIII.* Istam omisi, quia omnino redundat, & scriptorium mendum est.

M 5 Epi-

Epistola Formosi Papæ ad Adalgarium Archi-Episcopum Hamburgensem.

FOrmosus Servus Servorum Dei. Reverendissimo & Sanctissimo Adalgario Archi-Episcopo Hammaburgensi. Admirabamur tuam sanctimoniam, &c. *Hæc Epistola de subjectione Ecclesiæ Bremensis ad Coloniensem data A. C. 895. ad instantiam Hermanni Archi-Episcopi Coloniensis occurrit non modo apud Bollandum T. 1. Act. Sanctor. Februarii p. 407. & Maderum in Appendice ad Adamum Bremensem pag. 199. sed & in Lambecii libro secundo de rebus Hamburgensibus p. 412. Ideoq; & illam hoc loco repetere nolui.*

APPENDICIS APPENDIX,

Pro Obedientia præstanda Hamburgensi Sedi ab omnibus Episcopatibus Septentrionalibus.

EPISTOLÆ QUATUOR r) INNOCENTII II. PAPÆ.

I.

Ad Adelberonem Archi-Episcopum Hammaburgensem.

INnocentius Episcopus, Servus Servorum Dei Venerabili *Adalberoni* Hammenburgensi Archi-

r) Istæ quatuor Epistolæ Innocentii, de obedientia præstanda Hamburgensi Sedi ab omnibus Daniæ Episcopa-

Archi-Episcopo, ejusque successoribus Salutem & Apostolicam benedictionem. Ad hoc in Beati Petri Cathedra disponente Deo - - constituti

patibus, erant in principio hujus Libri Ecclesiæ Hamburgensis, ex quo hæc recensemus, in singulari aliqua chartâ pergamentâ duabus manibus scriptæ, priores duæ tenuiori, posteriores duæ grassiori; cumque videatur Liber diu laceram aut nullam etiam habuisse compacturam, ita imprimis extrema maculata & detrita erant, ut plane à nemine legi possent. Ne tamen quicquam de meo adderem, ea quæ distinctè legi potuerunt fideliter exscripsi, ex quibus de reliquis jam conjectura facienda est.

Innocentius autem ille fuit *Innocentius II*, qui coronavit Imperatorem *Lotharium II.* quod intelligas primo ex Calixto II & Honorio II Pontificibus ejus proximis antecessoribus, quos in his Epistolis sæpius nominat, & in hac ipsa causa querelas audivisse ait: deinde ex tempore Pontificatus ipsius & scriptarum harum Epistolarum: est enim an. Christi 1130. die 10. Martii creatus Pontifex, & anno Christi 1133. 6. Calendas Junii, 2. Pontificatus sui anno has Epistolas scripsit, ut in calce primæ expressum est: denique ex coronatione Lotharii II. in Imperatorem, quæ eodem anno 1133. 6 Julii facta est, teste Baronio.

Ante illud tempus, cum *Ericus Eigothe* Rex Daniæ pro expiatione summorum peccatorum religiosam amplexus esset peregrinationem Judæam versus, Romam veniens Ecclesiæ *Lundinensis* Archi-Episcopatum & Primatum super tria Regna obtinuit, sed pergens in Cypro Insula cum uxore sua *Bothilde* mortuus est, post quem Nicolaus frater ejus Rex Daniæ factus est, sub quo anno Christi 1103. *Ascerus* qui hic in Episcola I. *Acerus* appellatur, Cypræo *Ascherus* dicitur c. 18. factus est primus Archi-Episcopus Lundinensis

ſtituti eſſe aſpicimur, quatinus ſingulis Eccleſiaſticis perſonis ſuam conſervemus juſtitiam, & qualiter tam temporaliter quam ſpiritualiter earum

dinenſis in Dania: prius enim parebant omnes Danici Regni Epiſcopatus Archi-Epiſcopo Bremenſi & Hamburgenſi. Facta eſt hæc ſeparatio Epiſcopatuum Danicorum Suedicorum & Norvegicorum à Sede Hamburgenſi & Bremenſi, ab Urbano Papa II. à Gregorio VII. prius deliberata. Vid. Saxonis Gramm. hiſtor. libr. 12 & ex eo Baronium ad ann. Chriſti 1092. num. 13. 14.

Super hac igitur defectione, cum apud Calixtum & Honorium, & jam Innocentium conquererentur *Adalbero* Hamburgenſis Archi-Epiſcopus & prædeceſſores ejus; Has Epiſtolas ſcribit Innocentius pro reſtitutione antiqui & liquido conſtantis juris, primam ad Adalberonem Archi-Epiſcopum: [*quæ vulgata etiam eſt ab Erpoldo Lindenbrogio in Scriptoribus Septentrionalibus p.* 150. *edit. Hamburg. præmiſſa ejusdem Innocentii Epiſtola ad SVEDIÆ EPISCOPOS, ut & ipſi Hammaburgenſem Archi-Epiſcopum tanquam Metropolitanum ſuum debita obedientia proſequantur.*] alteram ad Nicolaum Regem, tertiam ad Aſcerum Lundinenſem, quartam ut videtur, ad Magnum Regem. De prioribus duabus res patet: tertiam autem ad Aſcerum directam eſſe ex illis quæ adhuc legi poſſunt ſatis liquet; præcipitur enim ibi obedientia ad Sedem Hamburgenſem tanquam Metropolitanam, alicui cujus Papa Fraternitatem appellat. Quartam autem ſub eodem Dato ad eundem Regem Nicolaum, ad quem ſecunda eſt, directam fuiſſe non eſt probabile: quia vero ille filium ſuum, *Magnum*, Coadjutorem & Corregem habuit, facilius eſt exiſtimare ad eum eſſe transmiſſam, ne in tantâ cauſâ neglectus indignaretur & patri contraria conſilia ſuppeditaret. Hæc ferè ex hiſtor. Gentis Danor.

rum ſtatus integer perſeveret, ſalubriter providere curemus. Dignum etenim & rationabile eſt, ut ſicut ſacroſancta Dei Eccleſia unitatis ac fidei perpetua mater exiſtit, ita nimirum privilegia cuſtodiantur illæſa, & nullis moleſtiis, nullis oppreſſionibus pravorum hominum fatigetur. Sæpe utique Venerabilis Frater noſter Adalbero Hammenburgenſis Archi-Epiſcopus in præſentia prædeceſſorum noſtrorum felicis memoriæ Calixti & Honorii ac noſtra queſtus eſt, *Acerum* Lundenſem & alios Daciæ, tibi debitam ſicut Metropolitano ſuo, quemadmodum antiquis privilegiis Gregorii, Sergii, Leonis, Benedicti, Nicolai, Adriani Romanorum Pontificum continetur, obedientiam denegare. Frequenter autem & à prædictis prædeceſſoribus noſtris Calixto & Honorio atque à nobis eis mandatum eſt, ut aut ad tuam & Hammenburgenſis Eccleſiæ redirent obedientiam, aut ſi quam ſuper hoc ſe conſiderent juſtitiam habere, ad Sedem Apoſtolicam venirent præparati: ipſi vero Apoſtolicis contemnentes obedire mandatis, nec venerunt nec reſponſales miſerunt. Quia igitur lucrum nemo de ſua contumacia debet obtinere, ex deliberato Fratrum noſtrorum Epiſcoporum &

nor. & Regum Daniæ num. 79. & 80. ut in minori forma ex typographæo Elzeviriano prodiere. Sed nihil hac reſtitutione effectum eſſe, res loquitur, & ex illo tempore Hamburgenſis Eccleſia Archi-Epiſcopalis Sedis nomen perdidit, quod cum S. Anſgario ejusque ſucceſſoribus ad Bremenſem Eccleſiam migravit. vid. ſupra ad vitam S. Anſgarii c. 19.

& Cardinalium conſilio,tam Lundenſem quam alios Epiſcopos Daciæ tibi reſtituimus. Ad formam itaque privilegiorum, Gregorii, Sergii, Leonis, Nicolai, Benedicti & Adriani,Epiſcopatus Daciæ, Suedjæ, Norvveigiæ, Farriæ, Gronlandiæ, Halſingaldiæ, Islandiæ, Scridevindiæ, & Slavorum, Cariſſimi filii noſtri Lotharii Regis precibus inclinati, tibi & per te Hammenburgenſi Eccleſiæ,ſuæ videlicet Metropoli,præſentis ſcripti pagina confirmamus. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica Sæcularisve perſonæ hanc noſtræ confirmationis paginam violare tentaverit, ſecundo tertiove commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honorisque ſui dignitate careat, ream ſe divino judicio exiſtere de perpetua iniquitate recognoſcat, & à ſanctiſſimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat: Cunctis autem hæc ſtatuta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti. Data Romæ apud montem Aventinum, per manum *Almerici* Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconi, Cardinalis, Cancellarii, VI. Kalend. Junii Indictione XI. Incarnationis Dominicæ anno M CXXXIII. Pontificatus vero Domni Innocentii Papæ II anno QVART.

II.

Ad Nicolaum Danorum Regem.

INnocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto in Christo Filio *Nicolao*, Illustri Danorum Regi, salutem & Apostolicam benedictionem. Prædecessores nostri felicis memoriæ, Gregorius, Sergius, Nicolaus, Benedictus & Adrianus, Romani Pontifices, Hammabnrgensem Ecclesiam Metropolim statuerunt, & ei tam Lundensem quam alios Episcopatus Daciæ subdiderunt. Cæterum Frater noster D. Hammenburgensis Archi-Episcopus tam prædecessorum nostrorum tempore quam nostro questus est, quod earundem Ecclesiarum Episcopi debitam sibi obedientiam ac reverentiam exhibere contemnant. Pro quo nimirum cum à prædictis prædecessoribus nostris Calixto & Honorio atque à nobis sit eis per scripta mandatum, ut ad Sedem Apostolicam venirent responsuri super hac causa, nec venerunt nec responsales miserunt. Nos itaque unicuique suam justitiam volentes conservare, communicato Fratrum nostrorum consilio, præfato Fratri nostro D. Archi Episcopo quemadmodum in antiquis privilegiis prænominatorum, Sergii, Gregorii, Leonis, Benedicti, Nicolai, & Adriani Romanorum Pontificum continetur, tam Lundensem quam alios Episcopos Daciæ restituimus. Tuæ itaque prudentiæ per Apostolica scripta rogando mandamus, quatinus eidem Fratri nostro D.

Ar-

Archi-Episcopo tanquam Metropolitano tuo, humiliter pareas, & ut Episcopi tui Regni ad obedientiam redeant, diligentius satagas adimplere. R. Data apud montem Aventinum VI. Kalend. Junii.

III. s)

Ad Acerum Lundinensem Episcopum.

INnocentius Episcopus Servus Servorum Dei - - - - - Salutem & Apostolicam bene-

s) Tertia Epistola, ut videtur ad *Ascerum* nuper contra antiqua instituta erectum Archi-Episcopum *Lundinensem* scripta, sic pote integrari, ex reliquarum tenore, ex ipsius causæ conditione & relicti spacii angustia vel amplitudine possit: quod in gratiam Lectoris conabor assequi, nullius meliori judicio præscribens. Quæ in scriptione hac inducta sunt linea & impresſione aliis typis excudenda, ea me sunt lacunis implendis bono animo addita: sic ubi quod volui non sum assecutus, veniam peto. Epistola hæc esset: *Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei*, Ascero Episcopo Lundinensi, *Salutem & Apostolicam benedictionem. Quemadmodum* juris naturalis est *alterum non lædere*; *ita nimirum* nostri officii, læsum adjuvare. *Cæterum Venerab. Frater noster A. Hamburgensis Archi-Episcopus* conquestus est coram *beatæ memoriæ Calixto & Honor.* &jam etiam nobis, quod ei debitam obedientiam *& reverentiam tanquam Metropolitano tuo* negligas exhibere. Quade re cum & ab *ipsis & à nobis sæpe per literas & nuncios* evocatus sis, nec per te nec per tuos tamen *Sedem Apostolicam visitasti. Quia igitur nostri officii est singulis sua* conservare, *Fraternitati tuæ per præsentia scri-*

benedictionem. Quemadmodum - - - -
alterum non lædere; ita nimirum - - - - - -
Cæterum venit Frater noster A. Hammaburgensis Archi-Episcopus - - - beatæ memoriæ Calixt. & Honor. - - - - - - - -
- - & reverentiam tanquam Metropolitano tuo neglig. - - - - - - ipsis & à nobis sæpe per literas & nuncios evocat - - - - - -
Sedem Apostolicam visitasti. Quia igitur nostri officii est singulis sua - Fraternitati tuæ per præsentia scripta - - manda - - - onem & reverentiam redeas, & ei tanquam Metropolitano - - - - - Data apud montem Aventinum VI. Kalend. Junii - - - - -.

IV. t)

Ad Magnum, cum Patre Nicolao

Daniæ Regem.

INnocentius Episcopus Servus Servorum Dei, dilecto in Christo Filio - - - - - - - -
Regi, Salutem & Apostolicam benedictionem. Venerabilis Frater noster Hammeburgensis Archi-Episcopus ad Apostolicam Sedem veni-

N ens,

scripta serio *mandamus*, ut ad ejus subjectionem *& reverentiam redeas, & ei tanquam Metropolitano* tuo *in omnibus* pareas. *Data apud montem Aventinum* 6. *Calend. Junii.*

t) Quarta etiam Epistola ex mea conjectura sic queat integrari: *Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto in Christo filio*, Magno Danorum *Regi salutem & Apostolicam benedictionem* &c. Atque pro hoc tempore & pro occasione hæc sufficiant.

ens, in noſtra præſentia queſtus eſt, quod cum Epiſcopis Regni tui, ſicut antiqua prædeceſſorum noſtrorum Gregorii, Sergii, Leonis, Benedicti, Nicolai & Adriani, Romanorum Pontificum privilegia indicare noſcuntur, metropolitano jure poſſideat, debitam ei obedientiam denegare præſumant. Quia igitur noſtri officii eſt, malè geſta corrigere, & ad viam rectitudinis revocare, Nobilitati tuæ rogando mandamus, quatinus præfato Fratri noſtro A. Hammeburgenſi Archi-Epiſcopo tanquam Metropolitano tuo humiliter pareas, & ut Epiſcopi terræ tuæ ad ipſius obedientiam redeant, pro facultate tibi à Deo collata diligenter efficias. Data apud montem Aventinum VI. Kalend. Junii.

ALBER-

ALB. CRANTZII

ET


PAUCORUM QUORUNDAM


ALIORUM

DECANORUM

REV. CAPITULI HAMBURGENSIS

ELOGIA & VITÆ.





ALBERTI CRANTZII
ELOGIUM
SCRIPTORE
MELCHIORE ADAMO.

EDidit CRANTZIUM Hamburga, urbs Hanſeatica celebris emporio, in familia natum honeſta. Ibi à prima ætate ad literas diſcendas adhibitus, omni doctrinarum genere ingenium excoluit. Cumque ætas ejus gravioribus ſtudiis idonea eſſet: Jus civile ac Pontificium addidicit.

Poſtea, quæ erat ingenii ipſius felicitas, animum ad Theologiæ ſtudium applicuit: ac in utroque ſtudiorum genere tantum profecit; ut inſignia cum Juris tum Theologiæ emeruerit. Cum autem præcipue omnis antiquitatis eſſet ſtudioſus, multarum gentium evolvit annales atque hiſtorias: ac de Saxonicis gentibus, & vicinarum Inſularum orbis Arctoi regnis, præclare meritus eſt: dum & regum vicinorum ſucceſſiones, & bella præcipua, & Vandaliæ in illo litoris Balthici tractu longiſſimo, & Saxoniæ fere univerſæ Principum & Epiſcoporum nomina & ſucceſſiones, usque ad annum Chriſti mil-

millesimum quingentesimum, graviter & prudenter explicatas deduxit. Quod Saxoniæ & Vandaliæ Chronicon *David Chytræus*, ab eo tempore, ubi ille finem fecit, usque ad annum nonagesimum tertium supra mille quingentos, perduxit.

Non itaque in ocio Crantzius vixit: sed ingenium suum & doctrinam, præcipue ad utilitatem Ecclesiæ contulit. Docuit primum in Academia Rostochiana; cujus Rector anno millesimo, quadringentesimo, octogesimo secundo, fuit. Postea Hamburgæ, in collegio duodecim monachorum, à Carolo Magno, ejusque filio Ludovico Pio, instituto, cum virtute, doctrina, multarum artium scientia & facundia cæteros antecelleret, præcipua ejus in Decanatu fuit auctoritas: & lectoris Theologiæ officio functus, sacras literas professus est, ac publicis concionibus populum docuit. Fuit ipse nonus in illa lectura, publicè in schola ac templo docentium, instituta anno Christi quadringentesimo octavo, supra millesimum, à quodam *M. Johanne Frickio.* Animadvertit in doctrina ejus temporis multum fuisse errorum & superstitionum: & mores Canonicorum & monachorum acerrime reprehendit; eosque in ordinem redigere conatus est. Sed cum id frustra se tentare videret: quod perversitas illorum hominum munita esset auctoritate Pontificis, dixisse fertur: nunquam posse eos reduci ad meliorem frugem, nisi prius à viris doctis expugna-

ta

ta arce. Interrogatus cur sese ipse non opponeret tam crassis erroribus; respondit: se neque eruditione neque ætate parem esse tantis negotiis.

Perstrinxit autem variis in locis errores ac mores Cleri sui temporis: & * Canonicos *κατ' ἀντίφρασιν* dictos adseruit: qui majori ex parte irregulares essent. De monasteriorum & redituum Ecclesiasticorum abusu ** alicubi ita conqueritur: *Utinam illo fervore, quo res inchoantur, perennarent: qua in re nimium falluntur opinionibus fundatores. Degenerant enim in deterius omnia: quod in probatissimis quibusque religionibus spectatur. Inde crebræ reformationes, & secutæ deformationes. Sic teritur vita.* De Eucharistia *** autem hæc habet: *Ejus usus à cœlesti Magistro constitutus est ad usum, non ad ostentationem.*

Cum ægrotus ac fere animam agens, vidisset propositiones Martini Lutheri contra indulgentias, dixisse fertur: nihil effecturum esse contra tam potentes adversarios. Suum esse consilium, ut ab incepto desisteret. *Frater*, inquit, *abi in cellam tuam, & dic miserere mei Deus*: significans conatu[illegible] rei tantæ, adversus Pontificem cujus auctoritas & potentia summis Regibus terrori erat, ab infimæ sortis monacho susceptæ, inanem & irritum fore.

 De-

* Metrop. lib. 4. cap. 2.
** Metrop. lib. 4. cap. 37.
*** Metrop. lib. 11. cap. 39.

Deceſſit autem eo anno Crantzius, quo Lutherus nundinationes indulgentiarum reprehendere cepit. Sepultus eſt Hamburgæ: ubi in cœmeterio ſummi templi monumento hoc epitaphium inſcriptum eſt:

Joh. Ziegenhagen, A. 1526. Antea Diaconus. vide Rev. D. Joh. Frid. Mayeri Evangelisches Hamburg pag. 9. seq. 79. 110. 133. † A. 1529.

Joa-

c) Inter A. C. 1164. qui fuit Adolphi III. Comitis Holsatiæ primus, & A. 1168. qui fuit ultimus Archi-Episcopi Hartwici I. utroque in id consentiente primum condita est Capella S. Nicolai, in nova civitate ut tum vocabant. Sed sacellum hoc postea in amplissimum tem-

Joachim Francke 1529. introductus ante Fest. Pentecostes. † 1551. 11. Febr.
Theodoricus Georgii 1551. 8. Mart. † 1561. 4. Aug.
M. Johannes Zarius, Belga 1561. 28. Dec. Pastor hactenus ad S. Johannis † peste 1565. 30. Sept.
M. David Penshorn, Hamb. 1565. Pastor antea ad S. Spiritus Templum. Tandem Superintendens Hamburg. 1580. 17. Aug.
M. Bernhardus Vagetius, Hamb. 1581. 31. Mart. † 1613. 13. Nov. Senior Rev. Ministerii Hamb. ab A. 1600. Confer Relationes curiosas Hamburgenses A. 1707. pag. 641. seq.
M. Nicolaus Hardkopf, Ostena Bremens. 1615. 29. Jan. morbi ac senii causa abdicavit se munere A. 1646. Senior Rev. Ministerii Hamb. ab A. 1633. † 1650. 13. Iunii, ætatis 68. De hoc infra.
Electus 1647. 7. Iulii, M. Jo. Mich. Dilherr, *Inspector*

S 4

templum, uti nova illa, quæ eo tempore dicebatur civitas in non infimam urbis veteris parochiam abiit. Constat autem hinc quare Parochia S. Petri licet Nicolaitanum templum Petrino vetustius sit tamen præroragativam sibi vindicaverit, quod nimirū veteris civitatis templum esset, proximum ædi Cathedrali. Turris A. 1517. addita est, & post hanc de cœlo A. 1589. tactam reparata utcumque A. 1591. sed pulcherrime ita qualis hodie conspicitur Anno 1657. Organum Harmonicum è campanis appensum A. 1663.

ſpector Rev. Miniſterii Norimbergenſis, ſed tam inſignem Virum Civitas illa dimittere à ſe noluit.

M. Godfrid Geſius, Munchebergenſis Marchicus electus 1647. 18. Jul. antea à Concionibus Aulicis Chriſtiani V. Regni Daniæ tum heredis. † 1679. 2. Sept. Senior Rev. Miniſterii Hamb. ab A. 1671. 8. Nov. Elogium ejus ſcripſit D. Antonius Reiſerus, quod extat in Rev. D. Gœtzii, Superintendentis Lubecenſis digniſſimi memoriis Theologorum T. 1. pag. 157. Vide etiam ſis auctorem relationum curioſarum Hamb. 1707. p. 193.

L. Nicolaus Langerhans 1680. 22. Febr. Hactenus Diaconus ad idem S. Nicolai templum (natus 1634. 13. Maj.) † 29. Januar. 1684.

Jo. Henricus Horbius 1684. 28. Dec. Superintendens antea Trarbacenſis, inde Winsheimenſis, ab Hamburgenſibus 1693. 23. Nov. dimiſſus, † 1695. 26. Jan. Schlemii in prædio ſuo, uno ab urbe miliari. Sepultus in proximo templo Steinbecenſi. Confer Epitaphium in Auctario ad Inſcriptiones L. Anckelmanni Hamburgenſes, num. CXLV.

D. Jo. Wolfius 1695. 19. Maj. † eodem anno 14. Nov. Superintendens antea Wernigerodenſis.

D. Franciſcus Wolfius 1697. 2. Maj. hacte-

hactenus Rostochii Pastor ad S. Mariæ & Rev. Ministerii Director, Theologiæque Professor.

DIACONI ECCLESIÆ AD S. NICOLAI.

Henricus Sendenhorst discessit A. 1526.
Johannes Ziegenhagen, A. 1526. paullo post in P. storem ejusdem Ecclesiæ electus.
Jacobus Laurentius electus A. 1529. † 1549. 28. Maj.
Nicolaus Rambovv † 1544.
Joachimus Koch (al. Kukenbiter) 1545. in locum Rambovii. † 1547.
Jo. Daventer 1547 Pasch. in locum Joachimi Koch. Discessit A. 1548. Pastor futurus in tractu Hadelensi.
Alexander Mepsensis 1548. in locum Johannis Daventer. † 1568. post Pascha.
Hubertus Bulandus 1549. Joh. in locum Jacobi Laurentii, † 1555 4. Mart.
Johann Zarius, Belga. 1555. 3. April. Pastor ad templum S. Johannis introductus 1556. 18. April.
Johann Lubeck 1555. 15. Dec. in Bulandi locum. Gener Dieterici Schonen, pistoris. Discessit A. 1558. Pasch.

Faustinus Nicolaus Willichius 1558. 25. Maj. in locum Johannis Lubeck. † peste 1565. 16. Sept.

Benedictus Koch, Hamb. 1565. 13. Nov. in locum Willichii. † 1582. 20. Jul.

Caspar Gritzener, Bohemus 1568. 9. Nov. in locum Alexandri Mepsensis. Hactenus Pastor ad templum S. Spiritus. † 1594. 2. Maj.

Jo. Osenbrugge, Hamb. 1581. 31. Mart. Pastor antea Eppendorfensis. Senii causa resign. 1609. † 1612. 25. Maj.

David Vagetius 1584. 3. Maj. in locum Benedicti Koch. Frater M. Bernhardi Vagetii, Pastoris ejusdem Ecclesiæ, † 1618. 25. Maj.

M. Albertus Mollerus 1595. 15. Ian. in locum Gritzeneri. Antea Præceptor classis 3. in Schola Iohannea. † 1597. peste, 17. Sept.

Casparus Schluve, Hamb. 1598. 11. Jun. in Alb. Molleri locum. Ecclesiastes antea Ritzbüttelensis. † 1606. 21. Iul.

M. Joachimus Damke 1606. 10. Oct. in Schluvii locum. † 1637. 20. Febr.

Ioh. Schmid, Sartoris F. Hamb. 1609. 19. Mart. in locum Osenbrüggii. † 1629. 6. Maj.

Henricus Dassovius 1618. 20. Dec. in locum Dan. Vagetii. Ecclesiastes antea Buxtehudanus in patria ubi natus est 1592. 3. Mart. † 1645. 8. Iul.

M. Jo-

M. Johannes Steemann, Hamb. 1630. 7. Mart. in locum Iohannis Schmidii. Ecclesiastes hactenus ad Germ. templum Hafniensis, †1676. 9. Aug. ætatis 74. ministerii 51.

M. Benedictus Palenius 1638. 18. Febr. in locum Ioachimi Damke. Natus Treptoviæ in Pomerania A. 1610. patre Pastore Ecclesiæ ac Præposito M. Joachimo Palenio & matre Maria Mevia, quæ filio fuit superstes. Ipse ex Catharina M. Nic. Hardkopfii Rev. Ministerii Hamb. Senioris filia suscepit tres filios totidemque filias. † 1652. 1. Iul. ætatis 42.

Henricus Staphorst 1646. 12. April. in Henr. Dassovii locum. Filius Nicolai Staphorsti Archi-Diaconi ad S. Petri. † phthisi 1649. 11. Febr.

M. Georgius Hardkopf 1649. 8. Jul. in Henr. Staphorstii locum. Filius M. Nic. Hardkopfii, Pastoris ejusdem Ecclesiæ. † 1679. 23. Iul.

M. Henricus Buchvvald s. Bucholtz 1653. in locum Palenii. †1659.

M. Hieronymus Muller, Hamb. 1660. 27. Sept. in Buchvvaldi locum. Filius D. Io. Mulleri Pastoris ad S. Petri. † 1705. 4. Maj. ætatis 74. ministerii 45.

L. Nicolaus Langerhans 1677. 21. Febr. in locum Io. Steemanni. Antea Superintendens in Hassia, inde per aliquot annos Pastor Stadensis ad S. Cosmæ, & aliquando

per

per biennium Rector ibi Scholæ extraordinarius. Vocatus tandem Pastor ad S. Nic. Hamb. 1680. 22. Febr.

M. Iohannes Pape, Hamb. 1680. 1. Febr. in locum Georgii Hardkopfii. † 1695. 17. Iul.

Detlev Becmann 1680. 5. Sept. in locum L. Nicolai Langerhans. Antea Diaconus Ietzehoensis. † 1684. 18. Iul. Pulcherrimum ex ejus scriptis est recusa sæpius & in aliis etiam lingvas translata Vita IESU CHRISTI.

M. Abraham Hinckelmann, Dœbelensis 1685. 19. Iul. in locum Becmanni. Hactenus ab A. 1674. Rector Scholæ Lubecensis, ante etiam ab A. 1672. Garlebiensis. Discessit A. 1688. vocatus Superintendens Generalis, & Concionator Aulicus Darmstadiensis.

Henricus Dornemann 1688. 25. Mart. in locum Hinckelmanni. Antea Ecclesiastes & Con-Rector Verdensis.

Iustus Corthum 1695. 22. Dec. in locum Iohannis Pape, Pastor hactenus Sulfeldensis.

Hermannns Wolf, Rostochiensis, 1705. 1. Nov. in locum M. Hieron. Mulleri, introductus à Parente D. Francisco Wolfio, Pastore ejusdem Ecclesiæ, 9 Dec.

PASTO-

PASTORES ECCLESIÆ d) AD S. CATHARINÆ.

M. Ordo Stiefel A. 1521.
contra indulgentias & alios Pontificios errores & abusus pro concione dicere cœpit. Vide Rev. D. Mayeri Evangelisches Hamburg p. 1. seq. Hic Ordo Stiefelius (Ritzenbergio in Epitaph. supra p. 97. & Abrahamo Sculteto in prima Evangelii renovati Decade *Stemmelius*) primus Hamburgensium Evangelista vocatur à Petro Lindenbergio in Chronico Rostoch. lib. IV. c. 1.

Joachimus Fischbeck A. 1525.
cœpit & ipse Pontificia placita publice reprehendere, sed accepta ut ajunt præbenda os

d) S. Catharinæ capella extra mœnia urbis post capellam S. Iacobi de qua infra dicetur exstructa est propius Albin fluvium post A. C. 1300. pro fullonibus, Zythopeptis & piscatoribus. Interjecto tempore cum ampla incrementa accolarum vicinitas illa sumsisset, muris urbi juncta, & in ordine parochiarum Jacobeæ etiam prælata est. Templum inde spatiosum & insigne, turris vero qualis in antiquis iconibus etiamnum cernitur exstructa A. 1601. Verum illam A. 1648. tempestatis diritas dejecit, ut supra pag. 225. dictum est. Igitur A 1657. longe pulchrior restaurata fuit, sic ut splendidissimis totius Germaniæ accenseri mereatur. Singularia quædam de eadem annotata sunt à B. D. Io. Corfinio in Concione Eucharistica, qua memoriam perfecti ædificii A. 1659. 3. Febr. celebravit, (Abbildung der Thurn-Zierde) p. 44. 45. 52.

os ſibi obturari eſt paſſus. Diſceſſit ex urbe A. 1527. Confer laudatum Venerandi D. Mayeri librum p. 5. & 147.

L. Stephanus Kempe, Hamb. electus A. 1527. Hactenus Paſtor ad S. Mariæ Magd. templum. ex Franciſcano Monacho ſtrenuus ille Veritatis Evangelicæ aſſertor, cujus dexteritati & conſtanti animo Eccleſia Hamburgenſis plurimum debet, & inter alia etiam hoc, quod acta illius temporis quo repurgatio Sacrorum Hamburgi felicibus auſpiciis ſuſcepta eſt, ſcripto perſpicue ac fideliter conſignavit. Ipſe enim auctor eſt univerſæ illius narrationis quam è Dialecto inferioris Saxoniæ in idioma Saxonum ſuperiorum translatam jam laudatus Venerandus D. Mayerus ſub titulo Hamburgi Evangelici edidit A. 1693, 12. Obiit Stephanus Kempe A. 1540. 23. Oct. De eo vide ſis Dav. Sculteti τȣ̃ μακαρίτȣ Innocentiam Theologorum Hamburgenſium, ſtatim in limine.

M. Joachimus Weſtphalus, 1541. Paſch. Vocatus Witebergâ, & tandem A. 1571, 29. Aug. Superintendens Hamb. de quo infra.

M. Gregorius Stamke ſive *Stammichius*, Brunſvicenſis 1572. Dom. Oculi. Rector antea Scholæ Flensburg. hinc Brunſvicenſis Eccleſiaſtes, † 1600. 22. Februar. Rev. Miniſterii ab A. 1593. primus Senior.

De

De eo vide Dav. Sculterum libro laudato p. 164. seq. & in dem von Schulen beruffenen Hamburgischen Prediger p. 32. auctoremque relationum curiosarum Hamb. 1707. p. 649. seq.

Electus 1600. 6. Nov. M. Iacobus Fabricius, *Superintendens Generalis Holsatiæ, sed retinente eum Ioh. Adolpho Holsatiæ Duce, vocationem illam non est amplexus.*

D. *Philippus Nicolai*, Mengershusanus è Comitatu Waldeccensi. · 1601. 14. April. antea Pastor Unnensis in Westphalia, Vir meritis in Ecclesiam scriptisque celebratissimus † 1608. 26. Oct. æt. 53. Vitam ejus & scripta vide sis in Henningi Witteni memoriis Theologorum p. 31. Cui adde Theoph. Spitzelii templum honoris p. 17. seq. Rev. D. Mayeri præf. ad D. Nicolai Speculum vitæ æternæ Hamburgi A. 1707. 8. recusum Germanice & Dav. Sculteti innocentiam Theologorum Hamburgensium pag. 54. Pauli itidem Freheri theatrum Virorum eruditione clarorum p. 351. seq. qui perinde ut Wittenius Georgii Dedekenni parentatione qua Collegæ sui memoriam celebravit usum se profitetur. Auctor fuit etiam hic D. Nicolai pulcherrimorum Hymnorum, quos in Ecclesia etiamnum decantamus. Confer Io. Christoph. Olearii Lieder-Bibliothec p. 60.

Iaco-

M. Jacobus Reineccius, Soltvvedelensis, electus 1609. 21. Sept. simul designatus Inspector Gymnasii & Scholæ Hamb. Antea Coloniæ ad Spream sive Berolini, Præpositus Ecclesiæ S. Petri & vicinarum Inspector. † 1613. 28. Iun. Ejus scripta recenset Henningus Witte T. 1. Diarii Biographici.

M. Martinus Willichius, Berolinensis 1614. 1. Maj. Ecclesiastes antea Berolinensis & Concionator aulicus Electoris Brandenb. Iohannis Sigismundi, obiit 1633. 1. Iun. Senior Rev. Ministerii ab A. 1620. Confer de hoc relationes curiosas Hamb. 1707. pag. 625. seq.

Electi interjecto tempore D. Meno Hannekenius, *Theologus Marpurgensis &* L. Balthasar Rhavv, *Gryphiswaldensis, sed ambo venire abnuerunt.*

M. Jacobus Grosse, Brandenburgo-Marchicus electus 1635. 30. April. Superintendens antè Soltquellensis, † 1652 14. Sept. æt. 61. de hoc infra.

D. Joh. Corfinius, Rostochiensis 1635. 15. Maj. Pastor antea in Patria ad templum S. Mariæ, & Phys. ac Metaphys. Professor, † 1664. 19. Maj. Confer. Rev. D. Zachariæ Grapii Evangelisches Rostock / p. 187.

D. David Klug, Tilsa Prussus 1665. 19. Febr. Superintendens hactenus Wismariensis & antea Elbingensis & utrobique Consistorii Præses. † 1688. 14. April. De hoc infra.

Abra-

D. Abrahamus Hinckelmannus, Dœbela-Misnicus, electus 1688. 28 Octobr. Hactenus Superintendens Generalis Darmstad. antea Diaconus Hamb. ad templum S. Nicolai. De ejus vita & scriptis adi Rev. D. Henrici Pippingii memorias Theologorum p. 597. seq. † 1695. 11. Febr. æt. 42.

Electus binc est D. Iacobus Hieronymus Lochnerus, *Superintendens Bremensis, sed vocationi non est obsecutus.*

D. Johannes Volckmar, Hamb. 1696. 30. Aug. antea Legato Potentissimi Regis Daniæ ad Regem Christianiss. à Sacris, inde Pastor Itzehoensis & Præpositus Pinnebergensis ac Munsterdorfiensis, ab A. 1705. 18. April. Senior Rev. Ministerii Hamb.

DIACONI ECCLESIÆ AD S. CATHARINÆ.

Johann Zeigenhagen, Magdeburgo vocatus, sed mox A. 1526. electus Pastor ad S. Nicolai, Hamb.

Joh. Gustrow electus 1528. † 1539.

Sebast. Freitag 1540. Pasch. in Gustrovii locum. † 1559. pridie Palmar.

Hermannus Bischfeld 1542. † 1547. Sept.

Georgius Tappius 1548. antea Pastor Mar. Magdalen. Hamburg. † 1565. 4. Aug. peste.

Conradus Garlacus, Brunſvvic. electus 1548. Paſch. † 1596. 13. Iun. Per ſedecim annos Collegæ munus ejus obiverunt, & integrum ei ſalarium permiſerunt.

Johannes Magdeburg, Dithmarſus 1564. † 1565. 6. Sept.

Chriſtianus Gryph, Hamb. 1565. in locum Tappii, † 1598. 1. Aug.

Chriſtianus Narendorph, Buxtehudanus, 1565. 25. Oct. in locum Ioannis Madeburgi. † 1597. 27. Febr.

Joh. Meier, Hamb. 1597. 23. Ian. in locum Conradi Garlaci. Antea per tredecim annos Paſtor Bargſtadienſis. Dimiſſus 1606. 13. Mart. ob amores fœminæ quam deinde coniuge defuncta duxit. † Hamburgi 1613. 16. Maj.

M. Henricus Stammichius, Brunſvicenſis, 1597. 4. Sept. in Narendorphii locum. Antea per undecim annos Paſtor Novi templi in tractu Hadelenſi. † 1608. 6. April.

M. Ioachimus Gryph, Hamb. 1598. 26. Nov. in locum parentis Chriſtiani Gryphii. † 1604 26. Sept. peſte, una cum conjuge B. Io. Schelhammeri filia.

M. Hermannus Länge, Hamb. 1605. 17. Febr. in locum Ioach. Gryphii. Hactenus per decem annos Præceptor tertiæ Claſſis in Schola Iohannea Hamb. † 1622. 7. Nov.

M. Georgius Dedekennus, 1606. 7. Sept. in locum Io. Meieri. Hactenus per annos duo-

duodeviginti Pastor Neostadiensis in Holsatia. † 1628. 29. Maj. Confer de viri hujus præstantissimi, cui inter alia Consiliorum Theologicorum luculentam collectionem debemus, Vita & Scriptis Henningum Witte in memoriis Theologorum p. 920. seq.

M. Joachimus Penshorn, Hamb. 1608. 25. Sept. in locum Henrici Stammichii. Filius M. Davidis Penshorn Superintendentis Hamburg. † peste 1629. 19 Sept. ætat. 52.

M. Bernhardus Wiese, Hamb. 1623. Festo Mich. in locum M. Hermanni Lange, † 1659. 29. Iul. ætat. 75.

Jodocus Capellus, Lubecensis, 1629. 24. Iun. in locum Dedekenni. Antea Rector Scholæ Stadensis, & inde Pastor Bilvverderanus. † 1660. 28 Febr. ætat. 68. Pater Rudolphi Capelli, Professoris in Gymnasio Hamb. De quo infra.

M. Henricus Janichius, Hamb. 1630. 11. Iul. in Penshornii locum. Hactenus per quinqennium Pastor Bergensis in Norvvegia. † 1655. 21. Dec. ætatis 60.

M. Johannes Fürsen, Hamb. 1656. 28. Dec. in locum Ianichii. Antea per duodeviginti annos Pastor primus Lutheranus Ecclesiæ Cathedralis, Bremæ, à Svecis sine causa speciali dimissus. † 1673. 11. Sept.

M. Vincentius Petersen, Hamb. 1660. 18. Mart.

in locum Bernhardii Wiese, † repentina morte 1667. 17. Dec. æt. 35.

M. Henricus Elmenhorst, Parchimensis. 1660. 18. Mart. in locum Jodoci Capelli. † 1704. 20. Maj.

Matthias Biester, Hamb. 1668. 16. Aug. in locum Petersenii. Filius Iohannis Biester, Ecclesiastæ ad templum ad S. Mich. & frater D. Ioachimi Biester, Physici Hamb. inclyti ac meritissimi. Natus 1635. 30. April. Confer quæ de vita sua ipse commemorat in præfatione ad scriptum vernacula editum hoc anno 1710. Neu-Jahr-Wunsch und Neu-Jahr-Geschenck der Christlichen Gemeine zu S. Catharinen mitgetheilet. p. 8.

M. Petrus Sculterus, Hamb. 1674. 22. Mart. in locum Ioannis Fürsen. Pastor antea per 5½ annos Woerdensis in Dithmarsia, † 1703. 16. Maj. Pater ejus Stephanus Scultetus Pastor ad S. Spiritus: Frater Sam. Scultetus, Pastor ad S. Petri & Rev. Ministerii Senior. Filius David Scultetus, cujus Scripta quædam laudavi, in flore ætatis extinctus 1709. 25 April. ætat. 30.

Arnoldus Maltzhan, Rendsburgo-Holsatus, 1703. 30. Dec. in locum P. Sculteti. Antea Pastor Berkoviensis.

Jacobus Makens, Hamb. 1704. 28. Dec. in locum H. Elmenhorstii. Hactenus Pastor Grundhofensis.

PASTO-

PASTORES ECCLESIÆ e)
AD S. JACOBI Majoris.

M. Johannes Fritze electus 1526.
† 1544.

M. Johannes Gartz 1546. Pasch.
Vocatus Spandoviâ. Dimissus 26. April. 1551. ob motam de descensu CHRISTI ad inferos controversiam.

M. Johannes Bœdecker 1552. 3. Ian.
Witeberga vocatus. † peste 1564. 26. Nov.

Cyriacus Siemens 1565. 25. Octobr.
Pastor antea Sinstorpensis. Electus Superintendens Hamb. 24. Aug. 1574.

M. Johann Henneken 1576. 24. Iun.
Vocatus Brunsvviga. † 1595. 23. Ian.

M. Lucas von Cölln, Hamb. 1595. 27. Iul.
resignavit ob senium 1609. 24. Octobr. † 1611. 11. Sept.

M. Jacobus Fabricius, Tunderensis Holsatus 1610. 17. Iun. Rostochio vocatus est ubi tunc exul à Calvinianis è Gottorpensi aula pulsus versabatur, Inspector postea Scholæ & Gymnasii tum recens instituti ab Amplissimo Senatu Hamb. delectus A. 1613. Sed facie rerum versa ad Concionatoris aulici munus

T 3 in

e) Capella S. Jacobi Majoris paullo ante A. C. ut videtur 1300. pro aurigis & olitoribus ædificata est extra mœnia urbis. Deinde aucto accolarum numero parochia urbi adscripta comprehensaq; communibus mœniis & amplificatum templum. Turris addita A. 1580.

in aulam Gottorpiensem revocatus, Dom. 23. Trin. A. 1616. Hamburgo valedixit. † 1640. 5. Nov. Superintendens Holsatiæ Generalis, major octogenario. Dixi de eo nonnulla in Centuria Fabriciorum scriptis clarorum p. 41. seq. Plura dabit Ioh. Mollerus V. C. in Cimbria litterata.

M. Severinus Slüterus, Hala-Westphalus, 1617. 22. April. Pastor antea Winsenas, † A. 1648. 16. Iul. Senior Rev. Ministerii Hamburg. ab A. 1646. Vitam ejus scripsit filius Iohannes, Consul postea Hamb. de quo dixi supra p. 391. Subjicitur illa Dissertationi de Verbi Divini Ministrorum ordine Vocatione & potestate Hamb. 1650. 12. Ab Henningo Wittenio itidem inserta est Memoriis Theologor. p. 1042. Vide etiam B. Davidis Sculteti den von der Kirchen zur Schulen beruffenen Hamburgischen Prediger p. 33. seq. & auctorem relationum curiosarum Hamb. A. 1707. p. 609. seq.

D. Joh. Balthasar Schuppius, Giessensis, 1649. 2. Febr. Professor antea Marpurgensis, atque inde Serenifs. Landgravii Hassiæ à Concionibus sacris & Superintendens Braubacensis, † 1661. 16. Iul. Programma quod in ejus funere edidit Petrus Lambecius extat in Henningi Wittenii memoriis Theologorum p. 1396. seq. addito p. 1404. scriptorum Catalogo. Idem Programma Germanice translatum occurrit inter D. Schup-

pii

pii scripta vernaculo sermone junctim vulgata. T. 2. p. 453. Vide & Andreæ Caroli memorabilia Ecclesiastica ad A. 1661. pag. 255. seq. Dav. Sculteti τοῦ μακαρίτου innocentiam Theologorum Hamb. p. 80. seq. & den von der Schulen zur Kirchen beruffenen Hamburgischen Prediger p. 50. Ioh. Molleri V. C. Isagog. in Historiam Chersonesi Cimbricæ part. 3. p. 590. seq.

D. Caspar Mauritius, Tunderensis 1662. 3. Aug. Professor hactenus Theol. ac Superintendens Rostochiensis, † 1675. 14. April. una cum conjuge quæ 16. April. extincta est sepultus. De vita & scriptis præclari hujus Viri consulendæ Henningi Wittenii memoriæ Theologor. p. 1858. seq. & Rev. D. Zachariæ Grapii Evangelisches Rostock p. 179. seq. Apud Wittenium extat programma quo funus τοῦ μακαρίτου prosecutus est V. C. Petrus Kirstenius.

Post electum A. 1675. 22. Aug. D. Ægidium Strauchium, *sed qui jussu Electoris Brandenb. Friderici Wilhelmi in custodiam datus, & deinde ad Gedanenses suos reversus est, ubi primam iterum Concionem habuit A. 1678. 22. Aug.*

D. Antonius Keiser, Augustanus. 1678. 3. Nov. Diaconus primum ab A. 1652. Schemnizensis in Hungaria; inde ab A. 1659. Pastor Posoniensis & Anno 1672. Confessor CHRISTI constantissimus, hinc post aliquot annorum exilium Rector & Biblio-

thecarius A. 1675. Augustanus, & ab Anno 1675. Oringanus in Comitatu Hohenloensi Pastor. †1686. 27. April. ætat. 58. De vita & scriptis Theologi hujus præstantissimi vide Rev. D. Henrici Pippingii Memorias Theologor. p. 141. seq. Georgii Serpilii Epitaphia Theologor. Suevicorum p. 152. seq. B. M. Davidis Sculteti innocentiam Theologor. Hamb. p. 81. seq. & den von der Schulen zur Kirchen beruffenen Prediger p. 55. seq.

D. Joh. Friderich Mayer, Lipsiensis, 1686. 24. Oct. Hactenus Professor Theol. Witeberg. Alumnorum Electoralium Ephorus & Templi Omnium Sanctorum Præpositus, (antea Concionator Sabbaticus Lips. & inde ab A. 1674. Superintendens Leisnicensis, ac non diu post Grimmensis.) Hamburgo discessit, incredibili apud Auditores desiderio sui relicto A. 1701. circa Michaelis Festum, vocatus Superintendens Generalis Pomeraniæ & Rugiæ, Præses Consistorii Regii & Academiæ Gryphisvvaldensis Theologus primarius ac Procancellarius perpetuus & Ecclesiæ ad D. Nicolai Pastor. Natus Lipsiæ 1650. 7. Dec.

D. Johannes Riemer, 1704. 20. Iul. Superintendens hactenus Hildesiensis, antea Pastor Ostervicensis primarius, & primum in Augusteo Weissenfelsensi Histor. & Poeseos Professor Publ.

PASTO-

DIACONI ECCLESIÆ AD S. JACOBI.
ET PASTORES AD S. GERTRUDIS TEMPLUM,
quod conditum est A.C. 1392.

Servatius Eggerdes 1524.
† 25. Nov. 1564.

Johann Flamme 1529. Mich.
† 1566. 11. Febr.

Caspar Hackrath 1545.
Una cum Eppingio dimissus A. 1551. 26. April. ob controversiam de descensu CHRISTI ad inferos, Superintendenti D. Ioanni Æpino motam.

Hermannus Svevus (Schwabe) 1551. post Mich.
in locum Hackrathi. † 1558. 10. Sept. Harburgum migraturus, ut ibi Pastoris ac Superintendentis munere fungeretur.

Jacob Kræger, Hamb. 1558.
in locum Svavii vocatus ex agro Eiderstadiensi, ubi Pastorem Ecclesiæ egerat † 1582. 19. Sept.

M. Jacobus Molitor (thor Mühlen) 1561. Pasch.
ex Holsatia vocatus, † peste 1564. 16. Nov.

M. Jodocus Corthum, Hamb. 1562. Pasch.
† 1580. 6. Sept. phtisi.

Albertus von Dalen, 1564. Dec.
Stada vocatus, † 1571. 12. Ian.

Theodoricus Siemens, Hamb. 1571. Ioh.

in Dalenii locum Stada itidem arcessitus, † 1578. 18. Sept.

M. Constantius Korvemaker, Hamb. 1579. 22. Maj. in Siemenii locum, † 1597. peste 26. Iul.

Johannes Arpius, Verdensis, 1581. 29. Ian. in locum Corthumii. Collega antea Scholæ S. Iohannis, † 1597. peste 24. Aug.

Paulus Cæsar 1583. 25. Febr. in Iacobi Krœgeri locum. † 1609. 30. Iul.

Henricus Seehusen, 1597. 2. Octobr. in locum Constantii Korvemacker. Antea per quadriennium Lauenburgensis & per octennium prius Luttaviensis Pastor. † 15. Ian. 1605.

Georgius Berendes, Hamburg. 1598. 16. Iul. in locum Ioannis Arpii, † 1600. 22. Sept. Pastor antea Ritzbuttelensis.

Nicolaus Stackelevius, Lubecensis, 1601. 29. Maj. in Berendesii locum. Pastor antea Wesselburiensis in Dithmarsia. Dimissus 1609. prid. Mich. † 1610. 26. Iul.

Bernhard Schrœder 1605. 27. Sept. in Seehusenii locum. Pastor antea Radelstadiensis, † 1622. 6. Dec.

M. Lambertus Langemacke, Husumensis, 1609. 17. Octobr. in locum Pauli Cæsaris. Rector antea Scholæ Husumensis † 1614. 2. Maj.

Hieronymus Schacht 1610. 17. Maj. in Stackelevii locum. Pastor antea Ritzbuttelensis † 1618. 30. Mart.

M. Joh. Adolphus Fabricius 1615. 8. Ian.

in

in locum Langemackenii. † 1650. 28. Oct. Filius Jacobi Fabricii, Pastoris ad S. Jacobi.

M. Johannes Jæger, 1618. 1. Nov. in locum Schachtii. Pastor antea Waldhornensis & inde Butzfletanus, resign. ob senium 20. Sept. 1667. successore dato filio Petro Jæger. † 1668. apoplexia 29. Januar. ætatis 83.

M. Johannes Schrœder, Wesselburiensis Dithmarsus 1623. 23. Nov. in locum Parentis Bernhardi Schrœderi. † 1628. 21. Jan. (al. 20. Febr.)

M. Joachimus Bartels, Hamb. 1628. 21. Sept. in locum Schrœderi. † 1643. epilepsia correptus 17. Aug. ætatis 40.

M. *Joachimus Schultze,* Pomeranus, 1644. 11. Aug. in Bartelii locum. † 1682. 27. Aug. Pater M. Danielis Severini Sculteti pietate doctrina & variis scriptis utilibus in lucem editis clarissimi Viri.

M. Vincentius Crull 1651. 18. Jun. in locum Jo. Adolphi Fabricii. † 1675. 15. Nov.

M. Petrus Jæger 1668. 15. Mart. in locum Joh. Jægeri, Parentis † 1682. 18. Nov.

M. Caspar Petrus Hulsemann 1676. 23. Aug. in locum Vincentii Crullii. Pastor hactenus Freyburgensis. † 1692. 16. Nov.

Christianus Mauritius 1683. 28. Jan.

in

in locum Joachimi Schultze. †1698. menſe Januar. Filius D. Caſparis Mauritii, Paſtoris ad S. Jacobi.

M. Chriſtoph. Brummerſtede 1683. 10. Maj. in Petri Jægeri locum. † 1684. 6. Jun.

M. Gerhard Hinſche 1684. 23. Nov. in locum Brummerſtedenii. † 1688. 10. April.

M. Jo. Jacobus Klug, Boruſſus. 1688. 9. Sept. in Gerhardi Hinſchenii locum. † 1701. 25. Sept. Filius Dav. Klugii, Rev. Miniſterii Senioris.

Jo. Chriſtoph. Auerbach, Gera Variſcus. 1693. 2. April. in locum Hulſemanni. Eccleſiaſtes hactenus Stadenſis. Gener D. Antonii Reiſeri, Paſtoris ad S. Jacobi.

M. Franciſcus Hardkopff, Hamb. 1698. Dom. Judica, in locum Chriſtiani Mauritii. Paſtor antea Hammenſis. † 1707. 22. Dec. natali die. Nepos Nic. Hardkopfii, Rev. Miniſterii Senioris.

Petrus Henningius 1702. 28. Mart. in locum Jo. Jacobi Klugii. Eccleſiaſtes hactenus Wilſterenſis, Paſtor S. Jobi Hamb. ſimul electus 1704. Iul. † 1707. 12. Febr.

Martinus Adami 1707. 26. Iun. in locum B. Henningii.

M. Conradus Grote, Hamb. 1707. 26. Jun. primus quarto loco electus, ita ut quatuor Diaconi eſſent.

PASTO-

PASTORES ET ADJUNCTI ECCLESIÆ AD TEMPLUM VETUS NEOPOLITANUM S. MICHAELIS.

Cum adhuc illa filia esset Ecclesiæ ad S. NICOLAI.

M. Petrus Klingenberg, Hamb. 12. Sept. 1604. † 1609. 26. Aug.

M. Joachimus von Vindeln, Hamb. 28. Maj. 1610. Pastor hactenus Ochsenvverderanus, † 1625 31. Aug.

M. Christianus Camerarius 21. Jan. 1626. Pastor hactenus Orphanotrophii Hamb. † eodem anno 22. Jun.

M. Nicolaus Dreyer, Lubecensis 16. April. 1626. *primus Adjunctus*, † eodem anno 11. Sept.

M. Jodocus Edzardi Glanæus 8. Sept. 1626. in locum Camerarii. † 1667. 24. Martii. De hoc infra. Vide etiam si lubet B. Georgii Haccii Michaelitischen Eintritt p. 39.

M. Engelbrecht Streithorst 13. Sept. 1627. In Dreyeri Adjuncti locum. Pastor antea Grodensis in Præfectura Ritzbuttelensi. † 1628. 23. Jan.

Johannes Biester 30. Mart. 1628. in locum Streithorstii, Adjuncti. † 1664. 20. Jun.

M. Johannes Surland Mart. 1649. *Secundus Adjunctus*. Deinde Pastor. † 1677. 8. Jun.

PASTO-

PASTORES AD NOVUM TEMPLUM S. MICHAELIS.

inauguratum XIV. Mart. A.C. M DC LXI.

Antequam Parochiæ juribus ornatum est.

M. Jodocus Edzardi Glanæus ab A. 1661 - 1667.
M. Johannes Surland * 1667 - 1677.

Post jura Parochiæ impetrata A.C. M DC LXXVIII, 31. Januar.

D. Joh. Lassenio A. 1678. 5. Mart. & *D. Augustino Balthasare*, Pastore Stralsundensi A. 1679. 13. Iul. electis, quorum neuter munus oblatum fuit amplexus,

L. Georgius Haccius, Pastor 7. Mart. 1680. † 1684. 12. April. De hoc infra. *

Johannes Winckler 31. Oct. 1684. † 1705. 5. April. Rev. Ministerii Senior, de quo infra.

Petrus Theodorus Seelmann 7. Febr. 1706. Natus Sempronii sive Oedenburgi in inferiore Hungaria A. 1656. 21. Aug. Diaconus primum per biennium Hetstadiensis, inde Pastor Primarius Stasfurtensis & inspector per annos 23. ac per triennium Pastor ad templum S. Spiritus Magdeburg.

DIACO-

DIACONI ECCLESIÆ NOVI TEMPLI S. MICHAELIS.

M. Henricus Grasmuller 7. Aug. 1664.
† 1683. 14. Ian.

M. Michael von Oppenbusch 7. Aug. 1664.
† 1686. 28. Octobr.

M. Hieronymus Pasmann 9. Jan. 1678.

M. Eustachius Kœten 17. Jun. 1683.
in locum Grasmülleri.

Philippus Fridericus Firnhaber 1. Maj. 1687.
in Oppenbuschii locum. Antea per decennium Pastor Wertheimensis. † 1693. 28. Iul.

Ernestus Mushard 7. Dec. 1690.
Primus quarto loco, ita ut quatuor Diaconi essent.

Caspar Bussing 18. Mart. 1694.
in locum Firnhaberi. Hactenus Professor Mathes. in Gymnasio Hamb. Postea 1699. 13. Iul. electus Pastor templi Cathedralis & Lector Theologiæ secundarius.

Julius Enoch Roloffsen 9. Jan. 1701.
in Bussingii locum.

Anteqnam ad alia templa descendam, juvat hoc loco inserere, posterorumq; memoriæ commendare monumenta bina de fundatione & inauguratione templi novi S. Michaelis, latinum alterum à V. C. Mich. Kirstenio editum, & alterum vernaculum quod subjicitur B. Jodoci

ci Edzardi Glanæi Concioni, cujus titulus: Grundlegungs-Predigt/ da der erste Stein zu der Neuen Kirchen in der Neuen Stadt Hamburg geleget worden ꝛc. 26. April. 1649.

Kurtzer Bericht Von der Grundlegung der Neuen Kirchen S. MICHAELIS.

Wie vor der Predigt mit schöner lieblicher Music/ Absingung der Collect lit. A. Verlesung des 1. Cap. Haggæi, nicht ohne sonderbahrer Hertzens-Bewegung der Actus angefangen/ also ist nach geendigter Predigt und Gebet lit. B. vom Herrn Cantore figuraliter vor/ und von der gantzen Gemeine einhelliglich nachgesungen: Es wolle uns GOtt genädig seyn ꝛc. Darauff ein Stück vom H. Cantore componirt/ über den ersten Aufftritts-Text Esræ 3. Da sie den Grund legten/gesungen und gespielet. Unter währender dieses Stücks Musicirung seynd aus den Gestüelten hervor getreten unser vom E. Hochw. Rathe deputirter Herr Bau-Patron/ der Ehrenv. Großachtb. Hochw. und Hochgel. Herr Burgerm. Herr Bartholdus Möller/ nebenst beyden Herrn Syndicis dieser Stadt/ auch viel Doctores, das gantze Ehrwürdige Ministerium, ansehnliche unterschiedliche Herren des Rahts/

Rahts/ das löbliche Collegium der H. Ober-Alten/ die andern Deputirten zum Kirchen-Bau / und haben sich die Herren E. E. Hochw. Rahts und andere Weltliche mit den H. des Ministerii gepaaret / und aus der Alten S. Michaels-Kirchen (in welcher immittelst mit Gebet und Gesang unauffhörlich fortgefahren) mit nachfolgenden vielen Bürgern/ sowol aus der Alten als Neuen Stadt verfügt/ nach dem Platz der Neuen S. Michaels-Kirchen; und haben die Herren des E. E. Hochw. Rahts und andere H. Doctores zur Rechten/ die H. des Ministerii zur lincken Seiten des Gerüsts oder Bünen in der Grufft sich gestellt. Darauff alsobald etliche der Musicanten mit Trommeten gespielet: GOTT gesegne meine Thaten/mein Vornehmen und Sach. Item: darauff streck ich nun aus meine Hand; Wodurch die unglaublich grosse Menge des Volcks/ (welcher wann der grosse Platz zu enge gewesen/ hat sie von Dächern umher/und aus den Fenstern dem Actui zusehen wollen) nicht zu geringer Freude und Eiffer ist beweget worden. Diesem nach hat sich Hochgedachter Herr Bürgermeister mit den beyden Syndicis und etlichen H. des Rahts/ dem an seinem Ort/.da das Altar gebauet werden soll) stehenden Grundstein genahet; Zu welchem der Wohl-Ehrw. Großachtb. und Hochgel. H.Doct. Johannes Müller des Ehrw. Predigamts Senior getreten / und Ihme H. Patrono mit gebührender Reverenz eine zinnerne Plate (in welche gegraben gewesen die Nahmen aller Herren des Ehrenv. Rahts/ und des Ehrw. Predigamts/ nicht weniger auch des löblichen Collegii der H. Ober-Al-

 ten/

ten/ und der zum Bau der Neuen Kirchen Deputirten Herren und Bürger) gereicht. Solche Plate hat Hochgedachter H. Kirchen-Patron in den Grundstein geleget/ mit einem gewächsetem Tuch bedecket/ güldene Gedächtniß-Pfennige hinein geworffen/ und mit einer wohl gezierten/ durch den ältesten Mäurer Ihme gereichten Kellen/ und præsentirtem Kalche die Fugen des Deckels (bekanntem Gebrauch nach) zugestrichen. Und da er mit auffgehobenen Händen den Allmächtigen GOttes Sohn/ den Groß-Fürsten Michael eifferig und hertzlich um glücklichen Anfang/ glücklichern Succeſs oder Fortgang/ glückseligste Vollführung/ und guten Bestand des Gebäues angeruffen; hat er den Baumeister und die andern Mauermeister/ nach Uberreichung güldener und silberner Pfenning zum Geschenck/ in einer wiewol kurtzen doch sehr beweglichen Rede vermahnet/ daß sie das Werck mit wahrer Gottesfurcht anfahen/und den Bau ferner mit gebührlichem Fleisse/ und höchster Sorgfalt und Vorsichtigkeit aufführen müsten/wohl beobachtende/ wann es nicht geschehe/ GOttes heiligen grossen Nahmens Ehre nicht wenig dadurch geschmählert/ und ihre Kunst bey Einheimischen und Fremden schlechten Ruhm haben würde.

Endlich/ da nun alles bey der Grufft mit hertzlicher Andacht geendiget/ und man in voriger Ordnung wiedergekehret in S. Michaelis Kirchen/ ist figuraliter HErr GOtt dich loben wir/ und das Concert auf den erklärten Text gerichtet/ mit grosser Freude gesungen und gespielet worden/ darauff der Ehrwürdige/ Vorachtbahre und Wohlgelahrte Herr Jo-

Johannes Bisterus vors Altar getreten/ und die Collect lit. B. mit gebührender Andacht gesungen / darauff der Segen gesprochen/ ein Stück musiciret/ und also der Actus mit vieler Menschen applausu, Glückwünschung/ und Verehrung der Armen mit starckem Glauben und festem Vertrauen/ daß GOTT unser Gebet erhören/ gnädiglich gewähren/ und das angefangene gesegnen wolle/beschlossen.

Collect vor der Predigt. A.

Lasset uns beten:

O Gütiger/ Allmächtiger GOtt und Vater/ der du dem Mosi befohlen die Stiffts-hütten / dem Salomoni den ersten Tempel / dem Serubabel den andern zu erbauen. Wir haben auch dein Wort und Befehl: Bauet a) das Hauß/ das soll mir angenehme seyn/ und will meine Ehre erzeigen. Wir gehorchen billig deiner Stimme als unsers grossen GOttes/ fürchten uns auch für dir / und ist unsere Freude in dem Neuen Bau deine lebendige Tempel zu seyn und zu bleiben. Erwecke aber durch deinen heiligen Geist/ den Geist unser Obrigkeit / und aller Christlichen Stände/und des gantzen übrigen Volcks/daß sie kommen und bauen deinem Nahmen ein Heiligthum. Schaffe b) dazu auch Mittel und Raht/daß wir solches glücklich anfahen/ mitteln und vollenden mögen. Zu deines heiligen Nahmens Ehre und unser seligen Erbauung/um deines lieben Sohnes JEsu Christi willen/ Amen.

Darauff ist das 1. Cap. Haggäi gelesen worden.

a) Hag. 1. v. 8. 12,14. b) 1. Chron. 29. v. 10.

B. Nach der Grundlegung.

Herr/ die Grundfeste hast du nun lassen legen.
Resp.
Gib ferner zum Bau Gnad und deinen Segen.

Lasset uns beten:

Gelobet seyst du / O Groß-Fürst Michael / du lebendiger GOttes Sohn; Und gelobet sey dein herrlicher Nahme/ daß du uns erhöret hast in dem Thron deiner Herrlichkeit / und Gnade gegeben/ daß nun der Grund zu diesem deinem Hause wohl und glücklich ist geleget worden / ruffen und wünschen demnach mit grossem Schall: Glück zu / Glück zu. Und bitten dich demüthiglich / flehentlich und inbrünstig/ aus kindlicher Zuversicht/ du wollest den Grund deines Hauses also befestigen / daß er nicht eingebrochen / viel weniger entblösset / noch weniger zerstöret werde / sondern biß an den Jüngsten Tag ungereget/ und also für und für bleiben möge; Stärcke unsere Hand durch viele milde Gaben / daß wir im Wercke nicht stecken bleiben und zu Schanden werden. Behüte alle / die daran arbeiten/ und fodere das Werck mächtiglich / wie es durch deine Gnade wohl angefangen worden/es auch also vermittelst derselbigen zu deines allerheiligsten Nahmens Lob und Preiß / und zu vieler Menschen zeitlicher und ewiger Wohlfahrt glücklich vollendet werden möge. Solches wollest du thun um deines Hochheiligen Nahmens Ehre willen/ Amen.

DEDI-

DEDICATIO BASILICÆ S. MICHAELIS IN HAMBURGENSIUM NEAPOLI MONUMENTO LITTERARIO EXHIBITA ET COMMENDATA.

MICHAELI
DEI FILIO DEOQUE IPSI OPT. MAX.
Fortiſſimo Eccleſiæ ſuæ Defenſori
Bellatori invicto, Victori & triũphatori æterno,
cujus providentia & ope
Urbs orta eſt, ſtetit crevitque & ſanctiſſimam
Religionem Chriſtianam jam inde à Noni
Seculi Chriſtiani initio coluit,
Sæpius reſtituta, aſſerta, defenſa, ornata
& nuper ampliſſima acceſſione aucta.
SENATUS POPULUSq; HAMBURGENSIS
Pietatis, Religionis & ſacrorum propagan-
dorum cauſſa, ex præſcripto S. litter. &
Auguſtan. Confeſs.
Cum anguſtior ædes non ſufficeret
In Neapoli ſua
BASILICAM NOVAM
Vovit, ſtitit, condidit,
Et deniq; ſolenni ritu conſecravit dedicavitque,
Interpretibus
ad aram
Venerando & Excellentiſſimo
DN. JOH. MULLERO, SS. Th. D. Eccleſ.
Petr. & Paul. Paſtor. Miniſter. Sen.

In Suggeſtu
Venerando & Clariſſimo
DN. M. IODOCO EDZARDI GLANÆO,
Eccleſ. S Mich. Paſtor.
Die XIV. Mart. Iul. A. C. clɔ Iɔ c LXI.
Feſto ob id ſacroque & ſemper memorando,
Fundamenta feliciter jacta ſunt
Anno hujus ſeculi XLIX. D. XXV. April.
primum lapidem ponente
Nobiliſs. Magnifico Ampliſſimoque Conſule
DN. BARTOLDO MOLLERO,
Patrono ſummo & primo, & bene de tota
Re ſemper merito,
quo tempore concionabatur idem
Paſtor EDZARDUS,
qui hujus quoque ædificationis auctor magno
animi ardore, labore, & perpetua exhortatione extitit.
Procurandæ ſtructuræ præfuerunt
diverſis temporibus
Ex SENATU
DOMINI CONSULES
BARTOLDUS MOLLER, Patronus I.
NICOLAUS JARRE, Patronus II.
IOANNES SCHLEBUSCH, Patronus III. †
PETRUS LUTKENS, Patronus IV.
WOLFGANG MEURER, Patronus V.
Præſides Rerum Opt. Templique
Conditores præcipui.
SENATORES
Lucas Becmann †

Geor-

Georgius von Holten, *J. U. L.*
David Pensborn, *J. U. L.*
Petrus Röver.
Georg. Möller, & ante cum esset *XII. V.*
Lucas von Srekelsen, †
Theodor. Möller, *J. U. L.*
Nicol. von der Fechte, & ante *XII. V.* †
Eberhardus von Campen, *J. U. L.*
Joach. Wichmann.
Garlev Langebeck.
Joan. von Sprekelsen.

XII-VIRI

Joachimus Becman.
Henricus Wichman.
Albertus Schultze †
Nicolaus Silm, deinde Senat. †
Georgius von Holte.
Petrus von Sprekelsen.
Henricus Busch.
Georg. Schrötering.
Paulus Langerman.
Hieron. Meurer. †
Basilius von Bostel.
Dieteric. Vasmer.
Joan. Bostelman.
Henricus Silm.

EX ECCLESIA MICHAELITANA.

Petrus Scherenberg
Paulus von Eitzen.
Georgius Lesse †

Joach. Beckendorf.

Qui ædificationis adjutor & adminiſtrator perpetuus, ſcientiſs. & diligentiſs. fuit.

Petrus Cruſe.

. Quorum DEUS pietatem munerabitur & memoria inprimis grata, quoad durabunt res humanæ, poſteritas celebrabit.

Pietatis, honoris & memoriæ cauſſa ſcripſit unaqne dedicavit
MICH. KIRSTENIUS,
Phil. & Med. D. & Hamb. P. P.

LECTORES SECUNDARII (f) THEOLOGIÆ ET PASTORES TEMPLI CATHEDRALIS.

M. Nicolaus Buerſtorfius, ob invectivas Conciones in Evangelicos per aliquod temporis ab officio

(f) A. 1408. utramque Lecturam Theologicam primariam & ſecundariam inſtituit *Johannes Fritz* de Winzenberg, Canonicus Hamb. & de propriis bonis dotavit. Primaria lectura, qua nonus ab inſtitutionis tempore pridem functus fuerat *Albertus Crantzius*, ut ſupra p. 788. annotatum eſt, interjecto tempore ab A. 1532. mandata fuit Superintendenti, poſt mortem vero Dav. Penshornii, quæ in A. 1593. incidit, una cum Superintendentis dignitate plane exſpiravit. vide p. 862. Inde ſecunda primæ vices & in templo & in lectorio ſive Auditorio Theologico juſſa obire, parteque redituum ejus aucta eſt. Cum hæc mutatio contingeret, Lector ſecundus erat Marcus Ivo, ut ſeriem hanc inſpicienti patet. Ex antiquioribus lecto-

ficio suspensus, sed post palinodiam & abnegationem Papismi A. 1534. Dominica Reminiscere factam restitutus est & functus munere Lectoris usque ad obitum 1540. Confer Rev. D. Mayeri Evangelisches Hamburg p. 154.

M. Joh. Frederus sive *Friderici*, Pomeranus 1540. Con-Rector hactenus Scholæ Johanneæ. Discessit A. 1547. circa Paschatos Festum Stralsundam, & Wismariæ Superint. † 1562. De hoc infra.

M. Paulus ab Eitzen, Hamb. electus A. 1548. sed proximo demum A. 1549. postridie Misericordias Dom. introductus. Idem postea Superintendens Hamb. & Lector primarius creatus A. 1555. 17. Aug.

M. Joachimus Tegener 1556. Hactenus Pastor ad ædem S. Mariæ Magd. Deinde Anno 1580. 7. Aug. electus Pastor Ecclesiæ S. Petri, † 1585. 2. April.

M. Joachimus Wermer 1581. 1. Maj. Sub-Rector hactenus Scholæ Johanneæ Hamb. Tegenero deinde 1585. 27. Jul. in Pastoratu ad S. Petri ædem successit, ut supra dicere me memini.

M. Marcus Ivo 1587. 13. Maj. † 1626. 21. Jun.

U 5 *D. Ger-*

lectoribus (primariis an secundariis nescio) memorantur Anno 1408. *Joannes Geylerus*, Clericus Ratzeburgensis diœceseos, & A. 1430. *M. Henricus de Hamme*, deinde multis annis interjectis *M. Albertus Tiempo* & *M. Joannes Tegener*.

D. Gerhardus Gravius, Westphalus. 1627. 23. Mart. † 1675. 10. Mart.

D. Christianus Sigismundus Wolfius, Berolinensis, 1676. 27. April.
Rector Scholæ Parchensis primum Anno 1655. deinde ab A. 1667. Pastor Berolin. ad S. Nicolai, cumque inde quoniam Reformatis concedere nolebat A. 1672. una cum Collegis dimissus fuisset, Rector ab A. 1673. Gymnasiii Cathedralis Bremensis, & hinc A. 1674. Benedicto Oxenstiernæ legato extraordinario potentissimi Regis Sveciæ ad Augustissimum Imperatorem à sacris, natus 1632. 12. Aug. † 1699. 2. Maj. ætat. 68.

Caspar Bussingius, Neo-Cœnobio Meclenburgensis, electus 1699. 13. Jul. & introductus in templo S. Petri à B. Joh. Wincklero, Pastore ad S. Mich. Rev. Ministerii Seniore. Hactenus ab A. 1694. verbi divini ad S. Michaelis Minister; antea ab A. 1692. Professor Matheseos in Gymnasio Hamb. & ante id tempus Con-Rector Gymnasii Cathedralis Bremensis. Hamburgo discessit A. 1709. à potentissimo Rege Daniæ vocatus Præpositus ac Superintendens Generalis Oldenburgensis.

PASTO-

PASTORES AD TEMPLUM S. MARIÆ g) MAGDALENÆ.

L. Stephanus Kempe, Hamb. 1523. Festo Corp. Christi. Hactenus Minorita sive Franciscanus. Postea A. 1527. Festo Mich. electus Pastor ad S. Catharinæ, ut supra dixi. † 1540. 23. Oct.

Conradus Lunseman, Hamb. 1527 Itidem Minorita prius fuerat.

Petrus Burchardus (Borcherdes) Resignavit ob ætatem provectam Festo Pentecost. A. 1546 † 1547. in Hospitali S. Georgii.

Georgius Tappius 1547. Festo Joh. A. 1548. Pasch. electus Diaconus S. Catharinæ. † peste 1565. 5. Aug.

M. Joachimus Tegener, Hamb. 1549. Pasch. Hildesia vocatus. Postea A. 1556. Lector Secundarius in Templo Cathedrali & 1580. 7. Aug. Pastor ad S. Petri. † 1585. 2. April.

Rumoldus Walther, Brabantus 1556. 13. Jul. Ottensenio adscitus, † 1565. peste 22. August.

M. Jo-

g) Hoc templum condidit Comes Holsatiæ Adolphus IV. post reportatam A. 1227. die Mariæ Magdalenæ sacro 22. Jul. insignem victoriam Bornehovedensem à Rege Daniæ Waldemaro. addiditque Monasterium fratrum Minorum sive Franciscanorum, quibus se ipse Adolphus junxit A. 1239. Vide P. Lambecium libro 2. de rebus Hamburg. num. 95. seq. & 157. seq. Hospitale S. Elisabethæ pro Virginibus & viduis institutum sumtu piarum Matronarum A. 1428.

M. Johannes Thies 1565. 29. Dec.
Paſtor hactenus in Dithmarſia, & antea Collega Scholæ Johanneæ Hamb. † 1586. 27. Nov.

M. Henricus Koop, Hamb. 1587. die Mariæ Magd. 20. Iul. Paſtor hactenus Altenvvaldenſis, in præfectura Riizbuttelenſi. † 1612. 3. Aug.

M. Jacobus Werenberg, Hamb. 1613. 19. Ian.
Jacobi Werenbergii parentis in Diaconatu ad S. Petri 1609. 10. Octobr. ſucceſſor ad Mariæ Magdalen. introductus 19. April. 1613. & Gymnaſii Profeſſor electus 11. April. De quo infra. † 1623 29. Jan.

M. Caſpar Grungenius, Walrada Luneburgicus, 1624. 4. Januar.
In introductione 19. Jan. inter gratulationes morbo à frigore correptus obiit 30. Jan. ejusdem anni.

M. Gerhard. Hackman, Otterndorfio Hadelenſis, 1624. 4. Mart.
Paſtor hactenus Beveranus. † 1647. 17. Ian. ætat. 55. Idem Paſtorem geſſit mitioris *b)* Ergaſtuli.

M. Gre-

b) Hoc mitius ergaſtulum (das Werck- und Zucht-Hauß) conditum fuit prope Eliſtrum fluvium A. 1616. & poſtquam inopino incendio conflagraſſet, reſtauratum & A. 1670. 4 Auguſti iterum inauguratum eſt. Confer de illo Gerh. Hackmanni Catechiſmus-Schule / Hamb. 1641. 8. in præfat. & L. Georgii Haccii Moſaiſches Zucht Hauß ad Devt. XXI. 18-21. Hodie ſacræ conciones & Exerçitia Catechetica in eodem

M. Georgius Beutin, Hamb. 1647. 6. Iul.
† 1669. 26. Mart. ætat. 56.

L. Georgius Haccius, Utlebia Schvvartzburgicus, 1669. 15. Nov.
Hactenus Paſtor Mindenſis in Weſtphalia. Electus deinde Paſtor ad S. Michael. Hamburg. 1680. 7. Mart. † 1684. 17. April.

Petrus Scheele electus 1681. 3. Ian. & introductus in templo S. Mariæ Magdalenæ à B. Hermanno von Petkum, Paſtore ad S. Petri. Paſtor hactenus Gicavienſis in præfectura Holſatiæ Rensburgenſi, † 1700. 5. Dec.

Christianus Ludovicus Seiler, 1701. 26. Sept.
Paſtor hactenus Tremſenſis in Marchia. Introductus à D. Chriſtiano Krumholtzio, Paſtore ad S. Petri, in templo S. Mariæ Magd.

dem obeunda committi ſolent digno cuidam Rev. Miniſterii Candidato, ut ante Clariſſimum *M. Nicolaum Lutkenium*, Hamb. qui jam munere illo fungitur, *Matthæo Wolfio*, Rev. D. Franciſci Wolfii, Paſtoris ad S. Nicolai F. in flore ætatis A. 1707. extincto, *Hermanno Wolfio*, Matthæi Fratri, nunc Diacono ad S. Nicolai Hamb. *M. Hermanno Krochmann*, Paſtori hodie Oſnabrugenſi: *Joachimo Morgenweeg*, Paſtori jam Orphanotrophi Hamburg *Julio Enoch Roloffſen*, hodie Diacono ad S. Michael. & ante hos *Schaario*, *Mentenio*, *Hamelio*, &c.

PASTO-

PASTORES TEMPLI SS. JOHANNIS i) BAPTISTÆ ET EVANGELISTÆ.

Theodorus Georgii, Stadâ vocatus A. 1548. A. 1551. 8. Mart. electus Pastor ad S. Nicolai.

M. Nicolaus Barstman (al. *Bostelman*) 1552. 20. Apr. Soltquellæ hactenus Pastor, ubi Interimisticas ceremonias probare renuit. † 1554. 4. Octobr.

M. Johannes Zarius 1555. 18. April. Diaconus hactenus ad S. Nicolai, & postea Pastor ejusdem Ecclesiæ vocatus 1561. 28. Dec.

Hermannus Brügman, Hamb. 1562. 20. Jan. † 1565. 31. Aug. peste.

Johann von Tieden (al. *Düten*) 1566. 18. Maj. † 1603. 15. Dec.

Henricus Rumpe, Tiedenio substitutus 1597. & post mortem Successor. Etiam Professoris

i) Hoc quoque templum una cum Monasterio fundavit Comes Holsatiæ Adolphus IV post victoriam Bornehovedensem A. 1227. relatam, commisitque Monachis Ordinis S. Dominici, qui Prædicatorum vulgo appellantur. Vide Lambecii Origines Hamb. lib. 2. num 98 seq. & 128. seq. Cæterum Monachis Anno 1529. expulsis per aliquot annos clausum fuit, usque ad A. 1548. Historica relatio MS. A. 1548. hefft men S. Johannis Kerken wedderumb geapenet / und is derinne thom Prediger angenamen einer H. Dirich Jürgens geheten / de ein tidtlanck tho Stada was gewesen.

ris Gymnasii munus simul gessit ab A. 1613. 11. Mart. † 1626. 16. Aug.

M. Johannes Turbanus, Hadelensis 1627. 24. Iun. † 1639. 29. Sept.

M. Nicolaus Staphorst, Hamb. 1640. 3. Maj. Nic. Staphorsti Archi-Diaconi ad S. Petri filius, † 1652. 24. Mart.

M. Henricus Tecklenburg, Butzflethanus 1653. 6. Ian. † 1702. 3. Iul. octogenario propior.

M. Nicolaus Staphorst, Hamb. 1705. 22. Mart. Introductus 25. April in templo S. Johannis à D. Christiano Krumholtz, Pastore ad S. Petri.

PASTORES AD TEMPLUM ET HOSPITALE k) SANCTI SPIRITUS.

Matthias Kræger electus 1533. resign. 1562. † 1565. 2. Ian. *M. Da-*

k) Hospitalitatis domorum S Spiritus & S. Georgii mentio fit in Compositione Rev. Capituli cum Amplissimo Senatu Hamb. facta A 1355, apud Lambecium lib. 2. rerum Hamb. num. 539. Utraque longe antiquior est, illa enim S. Georgii fundata jam Anno 1250. Hæc S. Spiritus non multis annis ante. Das ältiste Hospital, in welchem jährlich CXIV. Personen / die alt/ arm/ blind/ stumm/ taub oder sonst an ihrer Gesundheit Mangel haben/ mit Essen/ Trincken/ Linnen und Wollen versehen und versorget / auch dabey zur Gottesfurcht und Beten täglich angehalten/und wenn sie schwach und kranck / von den dazu Verordneten gepfleget/ gespeiset/ geträncket und fleißig in Acht genommen werden. M. Gerh. Hackmann præf. zur Catechismus-Schule im Hamburgischen Zucht-Hause/ Hamb. 1641. 8.

M. David Penshorn 1562.
electus Pastor ad S. Nic. Hamburg. 1565. 1. Nov.

Caspar von Greitzen, (Gritzner) Bohemus Dec. 1565. electus Diaconus ad S. Nic. 1568. 9. Nov. † 1594. 2. Maj.

Martin Heidkampf, Hamb. 22. April. 1569.
Hactenus Collega Scholæ S. Ioh. † peste 1597. 5. Aug. una cum uxore.

Johann Wringer, Hamb. 22. Sept. 1598.
Ecclesiastes antea Lauenburgensis. † 1619. 27. Jul.

M. Johann von der Hude, Hamb. 12. Dec. 1619.
Ecclesiastes antea Wevelsfletensis in Stormaria † 3. Jun. 1621.

M. Georgius Otto, Hamb. 7. April. 1622.
† 1624. 25. Febr.

M. Johann Müller, Hamb. 29. Sept. 1624.
M. Alberti Mulleri, Diaconi ad S. Nicolai Filius. † 1640. 14. Jun.

M. Stephanus Schultze, Hamb. 31. Oct. 1641.
Pastor hactenus Hemmensis in Dithmarsia. † 1675. 19. Dec. ætat. 73. cum A. 1674. 10. Ian. ætatis causa per filium Petrum Scultetum, (Sam. Sculteti Rev. Ministerii Sen. fratrem & postea Diaconum ad S. Catharinæ) resignasset.

M. Laurentius Postel, Stadensis 15. Mart. 1675.
Pastor hactenus per undeviginti annos Freyburgensis, in Ducatu Bremensi. Concio-

ciones in domo S. Jobi *l*) Hamb. simul habuit ab A. 1679. † 1696. 3. Nov.

Ulricus Wiese, Hamb. 2. Aug. 1697. Introductus & ordinatus in templo S. Spiritus à D. Francisco Wolfio, Pastore S Nicol. 27. Aug. Pastor simul severioris ergastuli *m*) ab A. 1700.

X PASTO-

l) Nosocomium S. Iobi (das Pocken-Hauß) conditum est A. 1509. Primumque Pastoris ad S. Georgii munus hoc fuit, ut Curam animarum illius gereret & Conciones in eo haberet, donec A. 1551. *Johannes Viridis*, Wunstorpio religionis causa pulsus peculiariter ad hoc adscitus est. Consvevit tamen ab eo tempore pro arbitrio Patronorum jam Ecclesiæ S. Georgii jam aliarum Ecclesiarum Pastoribus vel Diaconis demandari, ut *Franciscus Simonis*, pater, Pastor ad Georgii illo officio functus est usque ad A 1679. *Laurentius Postel* Pastor ad S. Spiritus templum, usque ad A 1696 *Henricus Elmenhorst*, Archi-Diaconus ad S Catharinæ, usque ad A. 1704. *Petrus Henningius*, Diaconus ad S. Jacobi usque ad A. 1707. & novissime *Caspar Bussingius*, Pastor ad templum Cathedrale, usque ad A. 1709.

m) Severius Ergastulum (das Spinn-Hauß) auspiciis Amplissimi Viri L. Petri Rentzelii, Senatoris Hamburg. conditum dotatumque A. 1670. surrexit, de quo consules B. Haccii Concionem ad Luc. XIX, 9. 10. quæ inscribitur neugestifftetes und begabtes Spinn-Hauß/ Hamb. 1670. 4 Pastorem ejusdem ergastuli usque ad A. 1700. gessit *M. Johannes Lange*, Diaconus ad S. Petri ædem. De aliis Nosocomiis Xenodochiisque Hamburgensibus minoribus vide si placet laudati Gerhardi Hackmanni præfat. ad librum, cui titulus: Catechismus-Schule im Werck- und Zucht-Hauß der Stadt Hamburg 1641. 8.

PASTORES ORPHANOTROPHII quod Anno 1604. in locum templi S. ANSCHARII Anno 1372. conditi successit.

M. Christianus Camerarius, 25. Jan. 1611.
introductus die Convers. Pauli Apostoli. † 23. Jun. 1626. cujus anni 16. Aprilis die vocatus erat Pastor ad vetus templum S. Mich.

Paulus Friese, Hamb. 26. Jul. 1626.
in Orphanotrophio educatus & enutritus. † obiit morte repentina ex terrore de nocte 4. Dec. 1656.

Albertus Schaar, Hamb. 5. April. 1660.
† 1671. 26. April. ætat. 43.

M. Ulricus Decker, Hamb. 6. Aug. 1671.
† 1684. 17. Nov.

M. Christianus Klug, Borussus 11. Oct. 1685.
Filius D. Davidis Klugii, Rev. Ministerii Hamb. Senioris. Ordinatus à B. Jo. Henrico Horbio, Pastore ad S. Nicolai, in templo S. Nicolai 28. Octobr. & Orphanotrophio præsentatus 3. Nov. † 1698. 23. Jun. æt. 48.

Joachimus Morgenweeg, Hamb. 18. Dec. 1698.

PASTORES AD TEMPLUM S. GEORGII, conditum *n*) A. 1250.

Reimarus bei der Linden 1532.
† 1540. 23. Nov.

M. Jo-

n) Vide supra pag. 909.

M. Johannes Högelke Pasch. 1541.
Circa Fest. Mich. 1542. vocatus Diaconus & inde Pastor S. Petri, ut supra suo loco dictum est.

Meinhardus Kræger Mich. 1542.
Senii causa resign. A. 1569. † 1571. 21. April.

Henningus Wichgreve 25. Sept. 1569.
Collega antē Scholæ S. Johannis. † 1613. o) 13. Iun. ætat. 71.

Henricus Pape 28. Maj. 1603.
Adjunctus Wichgrevio, & defuncti successor. † 1629. 18. Jun.

M. Franciscus Simonis 24. Octobr. 1629.
introductus à duobus Coss. Joachimo Claenio & Alberto von Eitzen, atque à M. Severino Slütero, Pastore ad S. Jacobi, † 1679 15. Nov. successorem nactus filium.

M. Franciscus Simonis Fil. Hamb. 21. Dec. 1679.
† 1709. 10. Octobr. ætat. 71. De hoc infra.

Nicolaus Möller, Hamb. 3. Mart. 1706.
Francisco Simoni adjunctus, & post obitum illius successor.

o) Perperam 1633. excusum in B. Davidis Sculteti den von den Schulen zur Kirchen beruffenen Hamburgischen Prediger pag. 80. ubi quædam de Wichgrevio annotavit.

PASTORES ad TEMPLUM S. PAULI in Clivo Hamburgensi, ante portam Altonaviensem, inaugurati A. 1682.

M. Joh. Michaël Dæler 1683.
Pastor antea Nosocomii p) Pestilentialis. † 1698.

M. Magnus Oelckers, Hamb. 22. Jan. 1699. † 1700. 2. Aug.

Franciscus Henricus Schœnemann, electus Dom. Rog. 1701.
Introductus deinde à B. Joh. Wincklero, Pastore ad S. Mich.

p) Nosocomium hoc Pestilentiale ante portam Altonaviensem condi cœpisse constat A. 1606. in quo Pastoris munere functi sunt *Conradus Konau* ab A. 1638 ad 1670. † 6. Nov. *M. Petrus Hesselius* (Antiquitatum Hamburgensium sedulus indagator, de quo infra) à 15. Febr. 1671. ad 1677. † 28. Dec *M. Joh. Mich. Dæler*, ab A. 1678. ad 1683 quo tempore vocatus est ad Templum S. Pauli, *M. Johann Meyer* à 12. Febr. 1684 ad 1693. † 4, Junii. *M. Julius Enoch Roloffsen* à 7. Nov. 1693. ad 1701. 9. Jan. quo die electus est Diaconus ad S. Mich. *Christianus Hinsche* ab Anno 1701. ad 1705. & *Henricus Wurzer*, Hamburg. ab A. 1705.

EPITA-

EPITAPHIA REVERENDIS VIRIS ET PRÆCLARE DE ECCLESIA DEI ET SCHOLA IN INCLYTA URBE HAMBURGA MERITIS, QUI SUPERIORIBUS ANNIS OBIERUNT,

scripta à

JOHANNE FREDERO, Hamburgensi.

JOHANNI ÆPINO,* qui Hamburgi obiit A. MDLIII. Sabbato post Misericordias Domini, ætatis LIV.

DUX lumenque sacri jacet hoc sub marmore cœtus,
Ah jacet ille Dei præco, quem gloria lingvæ,

X 3 Inge-

* Confer Phil. Melanchthonis in Æpini imaginem Epigrammata & Epitaphium illi scriptum à Joh. Ritzenbergio, quæ habes supra p 86. seq. Et quæ de præclaro hoc Viro, qui vernaculum nomen suum Höck/ Græco *Æpini* pro consvetudine illorum temporum permutavit, & primus Evangelicorum A. 1533. Witebergæ Doctor Theologiæ cum Joh. Bugenhagio & Casp. Crucigero salutatus est, memoriæ prodiderunt Vitus Lud. Seckendorfius in Hist Lutheranismi, Nic. Reusnerus in imaginibus Virorum illustrium, Joh.

Ingenium, virtus, gravitas, ſapientia, candor;
Judiciique acies & conſtans pectus in omni
Fortuna oſtendêre virum: quo vindice Chriſtum
Pontificem verum fuit] urbs Hamburga profeſſa
Pontificum bullas exoſa Petriq; cathedram:
Hinc illi nomenque bonum laudesque refulgent.

JOACH. WESTPHALO,

INgenio, pietate, fide, virtutibus, arte,
Judicio, ſcriptis & viva voce miniſter
CHRISTE tuus, patriæ qui conſtans ſerviit urbi
HAMBURGÆ, ſacra Catharinæ fid\s in æde
Paſtor olympiades JOACHIMUS WESTPHALUS octo,

Inde

Joh Jacobus Boiſſardus parte iconum tertia, Henricus Pantaleo in Proſopographia, Melchior Adamus in Vitis Theologor. Paulus Freherus in theatro virorum doctrina illuſtrium, Chriſtophorus Hendreich in Pandectis Brandenburg. Joh. Mollerus in Iſagoge ad Hiſtoriam Cherſoneſi Cimbricæ (qui copioſius de Æpini vita & ſcriptis tractaturum etiam ſe recepit in Cimbria litterata) David Scultetus ὁ μακαρίτης in den von den Schulen zur Kirchen beruffenen Hamburgischen Prediger. D. Georgius Petrus Schultze de claris Marchicis diſſ. Epiſtolica 1. & 2. Cupide interim expectamus Memoriam Æpini renovatam à Clariſſimo Viro & abnepote illius digniſſimo Franciſco Alberto Æpino cujus ſpem fecit in Novis litterariis Maris Baltici & Septentrionis Anni M DC VI. pag. 106.

Inde duos præſtans & clarus Epiſcopus annos,
Inſpicient hominum mores & templa gubernans
Huc tulit oſſa obiens, animam tu Chriſte tuliſti.

STEPHANO KEMPIO.

PRopugnare Dei pro laude paratus & acer
KEMPIUS & patriæ profiteri fortiter, auſus
Integra ſalvifici primus myſteria verbi,
Condidit hanc mundo diſcedens oſſa ſub urnam:
Mens cœlos, vitæ, conſcendit adepta coronam.
Sanctus es ô ſacri qui verbi cunque miniſter,
KEMPIUS eſto: Dei propugna fortis honorem,
Militiamque bonam gere: vitæ certa CORONA eſt.

JOHANNI BODCHERO,

Paſtori Eccleſiæ Hamb. ad S. Jacobi, defuncto A. 1564. VIII. Cal. Dec.

CLara ſalutiferi patriæ qui buccina Chriſti,
Qui virtute fuit vera decoratus & arte
Eximia, quem laude vehit ſvaviſſima morum
Gratia, IOHANNES BODCHERUS grata quietis
Dona ſub hoc tumulo capit: alti gratia cœli

In Christi amplexus animam suscepit ovantem,
O quantum est Christo servire fideliter uni!

GEORGIO TAPPIO.

DIscipulus Luthere tibi, tibi Westphale carus
Collega, insigni flagrans pietatis amore
Et Zelo ingenti defendens munera verbi,
Sinceramque fidem, fideique illustre sigillum
Quod nobis Christum sacra præsentat in ara
TAPPIUS ingenio linguaque GEORGIUS acri
Hic capit in Christo requiem, in Christoque resurget.

GODTFRIDO THEOPHILO.

MUnera magna DEI teneræ sunt lumina pubis,
Fidi, doctrinæ, fidei, morumque magistri:
Talis eras olim patriæ GODTFRIDE juventæ,
Pax divina tuo gestans in pectore palmam,
Et pietatis amor nomenque omenque dederunt
Dulce tibi: longæ tibi Christus tempora vitæ
Hic dedit in terris: qui jam dat gaudia cœli.
Gaudia quæ nullis sunt interitura diebus.

MAT-

MATTHÆO DELIO.

DELIUS ut Delum patriam, prælustris Apollo,
Obscuram, celebrem Musarum munere fecit,
En ita prælustris qui nomine Apollinis ortus
DELIUS Hamburgam Musarum munere DELUM
Hoc est eximiam fecit mundoque celebrem.
DELIUS, Hamburgæ moderator duxque juventæ
Illius ingenium ditârat summus Apollo
Filius ipse Dei, donis illustribus amplum,
Quicquid Graja tenet, quicquid Romana vetustas
Exactum eloquio felix callebat ad ungvem,
Vir patiens operum curisque assvetus honestis.
Illius hoc capiunt requiem post fata sepulcro
Ossa: fide vera summum mens scandit olympum,
A facie ad faciem cui Christus verus Apollo
Æternum eloquio cœlesti pectora mulcens
Emicat, ut Phœbus lucis fons aureus orbi.

JOHANNI PISTORIO.

CUr Pietas, moresque boni, doctæque Camœnæ
Hunc cingunt tumulum? Pietatis idoneus auctor
Et disciplinæ columen morumque bonorum,

Interpresque vocans medio ex Helicone Camœnas,
Mœnia in Hamburgæ, vicini in littoris oras
In domino moriens hoc mortua membra locavit
Sola solo, felix mens summo vivit olympo,
Illustres inter proceres sanctumque Senatum.

ECCLESIA LAMENTANS.

EHeu, qualis ero tandem, si Christe ministros
E medio tolli sic patiêre meos?
Qualis ero, linquent me si mea lumina? si me
Pectora destituent, hei mihi qualis ero?
Cum spoliantur oves pastoribus, anne luporum
Effectum rabies discit habere suum?
Eheu jure gemo fidis doctoribus orba:
Illi sunt oculi, corda, ducesque mei,
Qui monstrare dolos & iniqua resolvere vincla,
Eloquii possint dexteritate sui.
Dum mea sunt qui me discerpunt membra, nec ullum
Cadmæis video litibus esse modum.
Quem mea dextra librum tenet, hoc in turbine rerum
Vix tenet, hinc fraus est, qua nocet inde furor.
Ingemit ille miser distractus, perque capillos
Attractus, quo vult totus abesse loco,
Eheu jure gemo lacerata comasque sinusque
Eheu do lachrymis libera frena meis.

Ah

Ah nisi præstantum constantia corda virorum,
Finibus arcerent vimque dolumque meis:
Præstigiæ nimios agerent latebræque triumphos,
Nec foret ulla mei pagina certa libri.
Mille quod ambages quod fucis pinguia mille
Concilia, & fraudum texta retexta jacent:
Christe tuum est munus, Dux summe & Episcope summe,
Cujus sunt tales maxima dona viri:
Sed mihi cur adeo præter spem surripis omnem
Nelei dignos vivere fata senis?
Aspice me miseram, miseræ miserere benignus
Spes sine te nulla est, te sine nulla salus.
Ni mihi substitues animos oculosque fideles,
Me nisi Christe teges, me nisi Christe reges:
Uni odiis omnes telisque ferocibus uni
Iam magis instabunt vique doloque mihi.
Humanis equidem rebus confidere stultum est,
Miras pæne vices quilibet annus habet.
Hos oculos, has tollo manus ad sydera passas:
Inde mihi requies, inde petenda salus.
Cerno mille modos animorum mille figuras,
Quos statui fidos, hi nocuêre mihi.
Ante fui dives, multo quoque carior ante,
Me quotus in precio jam finit esse meo:
Vix magis à magnis pauper jam noscor amicis,
Non me sed nummos expetiêre meos.
Tu mihi te vero junxisti fœdere Christe,
Pectore non ficto non simulante fidem,

Tu

Tu mihi dum volvor tot vepres inter & hydros,
Tu fer opem, tu vis, tu mihi ferre potes.
Vis ita ferre tamen, ne ſit præſcripta jurandi
Vel via vel tempus meta vel ulla tibi.
Me, tua (non hominum deliria) ſemita ducat,
Vox tua ſit pedibus clara lucerna meis,
Vinea magna tua eſt; pauci fidique bonique,
A quibus hæc poſſit vinea ſancta coli.
Tu dominus meſſis, meſſem ne deſere, fidos
Tu mihi tu veros ſuffice Chriſte viros.

EPITAPHIUM
Quod
STEPHANO KEMPIO
ſcripſit
IOACHIMUS WESTPHALUS.

CONditur hoc tumulo STEPHANUS cognomine KEMPE,
Convenit officio nomen utrumque ſuo.
Pro palma ſtrenue certavit miles IESU,
Fortiter adſeruit dogmata ſacra DEI.
A Domino reddetur ei promiſſa corona,
Corpora cum ſurgent jam reſonante tuba.

IN

IN PIUM & REV. VIRUM
M. IO. BOTKERUM,
Eccleſ. Hamburg. in æde D. JACOBI PASTOREM VIGILANTISSIMUM, qui placide in CHRISTO obdormivit VIII. Calend. Dec. A. 1564.

JOHANNES CRISPINUS.
Brunſvicenſis,

In Epicedio ad Reip. Hamb. Senatores CASP. de VECHTE, & NIC. VOGLERUM, Honeſtosque viros LAURENT. WITTENEVEN, ac GEORG. WITTEN, & cæteros in D. Jacobi Parœcia Ædiles juratos.

SI neſcis natale ſolum quod protulit illum,
Hamburgi celebri natus in urbe fuit.
In qua totius ſplendet lux fulgida mundi,
Diſpergens radios in loca cuncta ſuos.
Hic CHRISTI Servos concordia ſancta coarctat,
Et ſtabili jungit pectora noſtra fide.
Illius effectus ſparſim ſe fundit in omnes,
Spirat & in toto corpore dulcis odor. &c.
BOTKERUM conſtans celebrat Confeſſio Veri
Quam nobis patulo ſæpius ore dedit.
Ante obitum repetens hanc affirmavit aperte,
Ad ſua ſe referens quæ pia ſcripta dedit.

Aſta-

Aſtabant quidam fratres ad limina lecti
Triſtes, inter quos WESTPHALUS unus erat.
Veridicus teſtis, ſcutatus in aggere miles,
Prælia qui CHRISTI pro grege magna gerit.
Ac aderat Doctor Medica præclarus in arte
FRANCISCUS RODEWOLT, Vir pietatis amans.

* * * * * *

Annis exceptis docuit tria luſtra duobus
Verbum quod nobis gratia diva dedit.

* * * * * *

Impia damnavit ſtygii deliria Papæ
Qui ſe lativago jactat in orbe caput
Et tentat CHRISTUM cœli detrudere ſede
Quam ſtultus proprium vendicat iſte ſibi.
Huncque ſuo propriis depinxit tempore pennis,
Queis ſuper aſtra poli celſa volare cupit.
Illius occultis qui colluſere tenebris
Humana illorum noluit acta ſequi.
Qui cœnam Domini ſtolida ratione profanant,
Inque illa ſanctum corpus adeſſe negant.
Qui Majeſtatem minuunt ſpurcantque ſupremam,
Metiri cœcis ſenſibus atque volunt.
Depravant puri & verum baptiſmatis uſum,
Quo CHRISTI miſeræ ſanctificantur oves,
Arbitrii vires fictis qui laudibus ornant,
Quas lapſu mater perdidit Eva ſuo.

Infi-

Inficiunt Magicis qui paſcua ſacra venenis,
Ac in agrum Domini ſemina falſa ferunt.
Acriter his inquam BOTKERUS reſtitit ille,
Confringens forti noxia tela manu.
Miles ut armatis depellit finibus hoſtes;
Quærentes Domini vertere regna ſui.
Sic hoſtes CHRISTI tumidos pulſavit ab urbe
Civibus inferrent ne mala damna piis.
Omnibus hoc conſtat, nam Concio facta fre-
quenter
Illius, & certo ſcripta relicta probant.
Cœlica quæ poſuit Domini mandata Tonantis
Quæ decet inprimis corde colente ſequi.
Eſtque Magiſtratum juſto veneratus honore,
Qui fert juſtitiæ ſceptra ſevera ſacræ.
Ædes ille ſuas magna cum laude regebat,
Defuit haud illi provida cura patris,
Nullius læſit lethali vulnere corpus,
Nec famam petiit dente latente bonam.
Unius uxoris voluit pius eſſe maritus
Ut divi Pauli ſcripta verenda docent &c.
Non verbis tantum ſed factis juvit egenos,
Illorum miſeras condoluitque vices.
Poſt obitum ſtuduit prodêſſe fideliter, illis
Namque dedit viva munera larga manu,
Quæ tribui debent ancillis nempe locandis,
Dotali quando deſtituuntur ope.
Ac inopi puero diſcenti jura Tonantis,
Artibus & ſacris dum ſtudet ingenuis,
Cujus in urbe parens hâc Verbi ſemina ſparſit,
Antea vel recte tale peregit opus.

Pa-

* * * *
* *

Pacatam duxit socia cum conjuge vitam
Conservans thalami fœdera casta sui.
Svaviter hanc verbis consolabatur amicis,
Decumbens graviter talia verba loquens:
Comprime luctisonos conjunx charissima fletus,
Ah noli lacrymis ora rigare tuis. &c.
Ecce quid ante dies per paucos accidit, illud
Pectore constanti volve revolve tuo.
Migravit cruda MOLERUS morte necatus,
Qui divi Verbi præco fidelis erat.
Filiolos quosdam, miseram costamque reliquit,
Quam DEUS octavâ sumsit ad astra die.
Hic qui vixerunt sociali fœdere juncti,
Illic perpetuo cœlica regna colunt.

* * * *
* *

Sic pius in CHRISTO Botkerus clausit ocellos,
Expirans animam, quæ subito astra petit.
Exhaustum corpus ferali conditur urna,
Exequias celebrat magna caterva pias.
Mors, quam fatidica prædixit mente futuram,
Post sua subsequitur funera mœsta statim.
Bis quater auricomus Titan circumvolat orbem
Janua vix tumuli clausa prioris erat.
Occubuit simili fidissima fœmina fato,
Namque extincta virum peste secuta fuit.

IN

EPITAPHIUM REV. VIRI DOCTRINA, PIETATE & FIDE ORNATISSIMI
D. JOHANNIS CRISPINI,
Ecclesiæ Hamb. in æde D. Petri vigilantissimi Pastoris, pie in Domino defuncti XVI. Cal. Nov. A.C. 1566.

scriptum à

JOACHIMO WESTPHALO.

URbs Brunsviga fuit CRISPINO Patria chara;
Et primis annis artibus erudiit.
Dorptæ divini dispersit semina verbi,
Sed sævus Russus depulit inde Virum.
Exul Rostochium venit, Pastorque receptus
CHRISTI pavit oves ad breve tempus ibi.
Charus erat populo, sinceris atque Ministris,
Omnibus his ardens cura, maneret, erat.
Ast aliter CHRISTO visum, placuitque vocari,
Hamburgi fieret Pastor ut ille bonus.
Non renuit Domini pia sponte capessere jussa,
Ille licet sciret dura obeunda sibi.
Per multis placuit, (quamvis non ille placeret
Omnibus) sic constans sicque disertus erat.

Munere commiſſo functus non tempore longo,
Confecit ſanctè perbreve curriculum.
Publica ſi ſacri cœtus bene commoda ſpectes,
In multos annos vivere dignus erat &c.

E CARMINE LUGUBRI HERMANNI LONNÆRI,
Lippienſis, Londinenſis Eccleſiæ in Dithmarſia Decani,
Ad Venerabiles Viros Paſtores & Miniſtros Eccleſiæ Hamb.

ET nunc Hammonis qui mœnia clara tenetis,
Tradentes pura cœlica juſſa fide.
Quos decet ut ſanctos colat obſervantia Muſæ,
Conſtanti Patres in pietate meæ.
Obtulit heu multos Eccleſia veſtra Miniſtros,
Eximios perdens Grex tener ille viros.
Dum bis frugiferas tulit æſtas torrida meſſes,
Et vix nudat hiems bis male fronde nemus.
Tres inter reliquos magna pietate celebres
Eripuit templis Grex pie Parca tuis.
Primus in his BOETKERUS erat, ſed ZARIUS alter,
Tertia CRISPINO funera mœſta facis.
Nec minor acceſſit cum pluribus inclyta nomen
Cui dederant nobis mœnia Virgo * tuæ.
Quem

* *D. Johannes Magdeburgius.*

Quem mihi de superis reddi quam sæpe cupi-
vi,
Si posset summo res placuisse DEO.
Ut mea multa pius facunda voce doceret,
Pectora de populi conditione mei.
Me prius hanc rexit, quia CHRISTI dogmate
plebem
Et magna tenerum pavit ovile fide.
Luctus at hic positus cum vix vetus esset, acer-
bo
Nunc nova CRISPINI fata dolore fero. &c.
Cujus erat celebris totam doctrina per urbem,
Et mens miranda relligione vigens.
Spiritus æthereis veniens de sedibus, ipse
Pascebat donis pectora sancta suis.
In verbi zelo studioque ardente salutis
Ignes præsentis emicuêre DEI.
Et quam mellifluo populum pater ore doce-
bat,
Quæ verba æternæ jura salutis habent.
Impia non aluit falsæ mendacia sectæ,
Non sancto fallax error in ore fuit.
Sed sua quàm studio Pastor vigilante peregit,
Tam verbum purâ tradidit omne fide,
Nil addens, etiam nihil audax Pastor ademit
Legibus, à vero quas tulit ipse DEO.
Et si quis verbo contraria spargeret, illum
Non tulit in cœtu delituisse suo.
Semper ab occulto conatus ovile veneno
Consecrare pia sedulitate fuit.

Inde piis ſtudiis multoque labore coactus
Sæpe fuit tenebris continuare dies.
Inque iracundos dextra victrice leones
Pro trepidis verbi civibus arma tulit.
Haſce ſed è reliquis ſemper depellere peſtes,
Præcipue charo de grege cura fuit:
Qui ſua quærendæ male miſcent facta Saluti,
Eſſe ſub hoc tanto non potuere viro.
Et qui Pontifici de ſancto cedere verbo
Præcipiunt, turpi terga dedere fugæ.
Quæ docet Helveticis Calvini ſecta ſub oris,
In populo ſpatgi non tulit ipſe ſuo.
Nempe Redemtorem quod ubique negavit, & ejus
In ſacro verum corpus adeſſe cibo.
Arcentesque ſacro teneros à fonte puellos
Non potuit turpes hic tolerare viros.
Et reliquis, violant qui puri dogmata verbi,
GRISPINUS ſectis hoſtis acerbus erat.
Nec pigros etiam ceſſavit carpere ventres
Ante miniſterio qui data dona vorant.
Omne genus vitii recti defenſor & æqui
Eſt procul â gregibus nixus abeſſe ſuis.
Omnibus exemplum vitæ præbebat honeſtæ,
Tam ſtuduit mores inſtituiſſe pios. &c.

ORA-

ORATIO
COMPLECTENS HISTORIAM VITÆ & OBITUS REV. & CLARISSIMI VIRI
M. JOACHIMI WESTPHALI,
Hamburgensis Ecclesiæ vigilantissimi SUPERINTENDENTIS,

scripta per *

M. JODOCUM METHODIUM.

PRodest omnibus temporibus clarissimorum Virorum exempla & historias intueri, præsertim optimorum gubernatorum, quorum vel in Ecclesia vel Politia fidelis admi-

Y 3 mini-

* Lucem vidit hæc Oratio una cum Epicedio, quod composuit Jo. Frederus, & cum aliis amicorum Carminibus atque Epitaphiis memoriæ Westphali consecratis, Rostochii A. 1575. 4. Præterea de hoc Theologo consules M. Joach. Menzelium in memoria Westphaliana sive schediasmate Epistolico de doctis Westphalis Gryphisvv. 1705. Dav. Scultetum τὸν μακαρίτην in Innocentia Theologor. Hamb. contra Godfr. Arnoldi criminationes, & in Hamburgischen Prediger / Jo. Mollerum V. C. in introductione ad Histor. literariam Chersonesi Cimbricæ, Ant. Teisserium ad Elogia Thuanea, Petrum Bælium in Dictionario Historico Crit. &c.

nistratio communi patriæ salutaris exstitit: ut consideratione virtutum, quibus prædiri fuerunt, animi piorum excitati magis ad pietatem, fidem, constantiam & alias virtutes invitentur. Plurimum enim talium præstantium hominum καὶ βουληφόρων ἀνδρῶν imagines omnium oculis & sensibus expositæ ad hoc valent, præcipue vero iis in locis, in quibus ingenio, pietate, doctrina, & sapientia eximii diu claruerunt, ac in toto vitæ suæ curriculo usque ad extremum halitum se tales exhibuerunt, quales esse præsens status requirebat.

Magna autem laus patriæ & ingens decus est, in arduis & difficilibus rebus habere, qui ingenio, doctrina, consilio & auctoritate plurimùm valent, ita ut malis præsentibus rectè mederi, futuris pia doctrina & ardentibus precibus ad DEUM occurrere, & vel à magnis calamitatibus liberationem, vel earum mitigationem divinitùs impetrare sciant. Flecti enim DEUM piorum precibus, sacræ scripturæ historiæ insignes testantur, & illustria testimonia docent. Genesis 18. recipit DEUS, se Sodomis parsurum, si saltem decem justos in iis invenerit: Capite 19. Loth intercedit pro oppidulo Zoar, & optatum à DEO responsum audit: Ecce, inquit DEUS, etiam in hoc suscepi preces tuas, ut non subvertam urbem pro qua locutus es, festina te salvare ibi, quia non potero facere quicquam, donec ingrediaris illuc: Psalmo 106. scriptum est, dixisse DEUM se dispersurum Israëlitas, si non

Moy-

Moyſes electus ejus ſtetiſſet ἐν τῇ θραύσει ἐνώπιον αὐτῦ, ut averteret iram ejus, ne perderet eos: & apud Ezechielem graviter DEUS invehitur in Prophetas & alios, quod ſincera doctrina & ſanctis precibus ſe non oppoſuiſſent iræ ipſius, cum inquit: *Non aſcendiſtis ex adverſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſraël, ut ſtaretis in prælio in die DOMINI*, & iterum: *quæſivi de iis virum, qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra me pro terra, ne diſſiparem eam, & non inveni.*

Hinc licet conſpicere, non ſolum in quanta ſint auctoritate apud DEUM preces ſanctorum, ſed etiam quanta mala eorum ex hac vita diſceſſus portendat, quorum felici gubernatione, recta doctrina, & piis precibus Eccleſiæ & Reſpublicæ multo tempore in tranquillo & incolumi ſtatu manſerunt. Vera enim eſt Eſaiæ prophetia; à facie mali collectus eſt juſtus: & notæ ſunt hiſtoriæ in libro Judicum & noſtri temporis: quæ oſtendunt, non leves tempeſtates magnorum virorum obitus eſſe ſecutas.

Cum igitur inter præſtantiſſimos hujus temporis Doctores, Dominus *Joachimus Weſtphalus*, quem hoc anno, qui eſt à nato Chriſto M D LXXIV. DEUS ad lætam beatorum conſvetudinem ex hac calamitoſa vita evocavit, merito ſit habendus: & beneficia DEI per hujusmodi ſanctos viros in Eccleſiam & Politias collata, omnibus palam nota & conſpicua eſſe debeant: ut videlicet dona eximia, quæ DEUS Eccleſiæ hiſce temporibus in organis ſalutaribus

& misericordiæ vasis largitus est, gratis animis agnoscamus, nec non illustria fidei, constantiæ in confessione, omniumq; cæterarum virtutum exempla semper in conspectu sint: Ejusdem Westphali viri clarissimi, & omni virtutum ac doctrinarum genere ornatissimi, ortum, educationem, ingenium, in literis profectum, vitam ac mores, vocationem, in vocationis laboribus sedulitatem & fidelitatem, & res piè ac feliciter in Ecclesia per DEI gratiam gestas, cum earundem eventibus, denique ætatem cum integritate vitæ transactam & pium exitum, narratione continua, ordine & fideliter, DEO favente, exponam. Ex his enim omnibus satis manifestum erit, singulare DEI donum in hoc Viro ita eluxisse, ut difficillimis hisce temporibus quoddam lumen esset patriæ, accensum divinitus, & supra candelabrum positum: hanc ob causam, ut doctrina, per Prophetas & Apostolos à DEO nobis tradita, & per Reverendum organon Lutherum ex densissimis tenebris Papisticis eruta, repurgata & in lucem reducta, contra tot & varias impiasque sectas illustrata defenderetur, & in omnibus partibus pura & incorrupta conservaretur: nec solum in patria maneret inviolata, verum etiam ad exteras nationes integra dimanaret. Id enim summa vigilantia & indefesso studio Westphalus est conatus, & DEO gratiam dante sedulo quoque præstitit, ut non tantum vivo Doctore *Æpino* (cujus sincerum de hoc viro non est ignotum judicium) sed etiam

post

post illius mortem hæc inclyta urbs & Ecclesia Hamburgensis ab impiis Antichristi dogmatibus, omniumque aliarum perniciosarum sectarum erroribus universis tuta & incontaminata floreret, inprimis autem contra illam late grassantem Sacramentariorum & Anabaptistarum luem defensione veræ & divinitus traditæ doctrinæ confirmaretur. Hoc vero non sine gravissimo certamine, & intentione ac labore assiduo esse factum, scripta ejus contra Calvini sectam, cæteræque conciones omnes, quas magna ex parte descriptas posteris reliquit, reipsa declarant.

Initio autem de parentibus Westphali quædam paucis referenda sunt: ut mirandum consilium DEI in hoc & similibus piorum Doctorum exemplis consideretur, quod subinde in Ecclesia etiam ex infima & abjecta, ut putatur, plebe salutares doctores & donis singularibus ornatos excitet. Hinc Maria canit: *Dominus respexit humilitatem ancillæ suæ, deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles*: & Apostolus Paulus 1. Cor. 1. hoc DEI peculiare opus commendans scribit: *Non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi claro genere, verum, quæ stulta erant coram mundo, delegit DEUS, ut pudefaceret sapientes:* & Petrus ait: DEUM humilibus dare gratiam. Christus ipse non nascitur Hierosolymis, sed in Bethlehem exiguo & humili oppido: non ex muliere dignitate pontificia celebri, sed ex virguncula obscura & ignota. In electione David

in regem Israel Dominus ad Samuelem dixit: *Non respicias vultum ejus, neque altitudinem staturæ ejus, quoniam abjeci eum, nec juxta intuitum hominis ego judico, homo enim videt ea, quæ patent, Dominus autem intuetur cor, surge*, inquit, *& David, qui omnium filiorum Isai natu minimus est, unge.* Hoc singulare DEI opus postea etiam David ipse magnifice celebrat Psalmo 113. hisce verbis: *Quis sicut Dominus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra, qui humilem ex pulvere terræ erigit, & de luto exaltat pauperem, ut collocet eum cum Principibus, cum Principibus populi sui.* Quæ Psalmistæ verba Westphalus triduo ante mortem, cum singulis ex fratre pronepotibus à puella natu minima exorsus benediceret, in etymologia nominis Joachimi (quo unus è pueris vocatur, quia ei testis & fidejussor ad Baptismum adstiterat) recitavit, additis his versibus:

Disponente DEO, nomen mihi contigit aptum
Ex humili fecit surgere namque loco.
In cathedram statuit miserum de pulvere tractum
Contulit omne bonum gratia sola mihi.

Etsi autem natus est Westphalus in inclyta urbe Hamburga ordinata honestis legibus, & vera Religione, justitia ac disciplina florente, & peculiariter ornata hoc insigni testimonio, quod foveat Ecclesiam DEI, & in juvandis literarum studiis officiosa sit: & patria bene morata non parvum addit viris ornamentum, ut etiam propter dignitatem & celebritatem patriæ, si non omni-

omnino degeneres ſint, amentur ac promoveantur: tamen ab exili eum loco progreſſum eſſe nequaquam diſſimulamus. Et nemo ſanus id ipſi dedecori eſſe judicabit, quin potius ſtatuet, magnum hoc ipſi ſplendoris cumulum attuliſſe. Gloriatur & honorificum ſibi ducit Cicero, quod ſuis præluxerit majoribus. Et noti ſunt dulciſſimi de Agathocle Rege Auſonii verſiculi:

Fama eſt fictilibus cœnaſſe Agathoclea Regem,
Atque abacum Samio ſæpè oneraſſe luto.
Fercula gemmatis cum poneret aurea vaſis
Et miſceret opes, pauperiemq́ simul.
Quæſitus cauſam, reſpondit: Rex ego, qui ſum
Sicaniæ, figulo ſum genitore ſatus.
Fortunam reverenter habe, quicunque repentè
Dives ab exili progrediere loco.

Ut igitur hi ſibi duxerunt laudi, quod humili loco nati ad culmen honoris evecti eſſent: ita quoque non exiguum decus attulit *Joachimo Weſtphalo*, quod vulgaribus natus eſt, iisdem tamen honeſtibus parentibus. Pater *Nicolaus Weſtphalus*, faber lignarius, & conjux *Alca*, honeſte victum quæritando ambo piè vitam tranſegerunt, habueruntque duos filios & filiam unam, quos in diſciplina & correptione Domini diligenter educarunt, ac, ut diſcerent literas, & à primis annis ad virtutem aſſveſierent, tempeſtiva ætate in ſcholas miſerunt; Inde igitur à teneris usque Joachimus literis humanioribus imbutus nul-

nullum tempus ociose præterlabi est passus, sed cæteros condiscipulos omnes studio antecelluit, ac feliciter profecit: ita, ut ingenium ejus atque indoles probe cognosci posset, & spes non dubia conciperetur, in talem virum aliquando eum evasurum esse, cujus eruditione & industria inposterum Ecclesia & Respublica uterentur.

Primum autem frequentavit *scholam Hamburgi ad S. Nicolaum*, quæ tum fuit præcipua: (nondum enim ea, quæ nunc est *ad D. Johannem*, instaurata erat) in qua prima elementa artium docendi, Grammaticæ, Rhetoricæ & Dialecticæ fideliter percepit, adjunctis crebris tam in ligata, quam soluta oratione styli exercitiis: in quibus tantum progressus est, ut paulatim in gravioribus materiis ingenii sui vires experiretur, & multa memoriter percipiendo fructum immensum sentiret. Deinde *Lüneburgi* in schola monasterii, quod à sacro valle nomen habuit, aliquot annos præceptore usus est *Erasmo* quodam, qui posteaSusati ministerio Ecclesiastico functus senior ante paucos annos ad D. Westphalum veteris notitiæ & familiaritatis renovandæ gratia literas misit.

Luneburga discessit *Witebergam*, civis cujusdam Hamburgensis patrocinio adjutus: ubi mansit, donec gradu *Magisterii Philosophici* insigniretur, quo adepto Hamburgum vocatus est, ubi in *Scholæ Johannis secunda classe præceptoris* officio aliquamdiu est functus. Hospitem eo tempore

pore habuit *M. Johannem Schræderum*, Virum Senatorii ordinis, & doctrina & consiliis potentem, qui præstantiam ingenii singularemque eruditionem ac modestiam in eo animadvertens effecit, ut ampliore stipendio donatus in Academiam rediret.

Witebergam itaque est reversus: unde mox peste urgente discedens, *Jenam* sese contulit: ubi non diu commoratus *Marpurgum* profectus est. Postea *Erphordiæ* cum *D. Conrado Gerlaco* (qui deinceps longo tempore fidelis collega & summus illius amicus fuit in ministerio ad *S Catharinam*, ubi adhuc is ministrum verbi agit) familiariter vixit: *Sebastianum Munsterum* Hebræam linguam profitentem audivit *Basileæ*. Tandem reversus *Witebergam* non solum *D. Lutherum, Philippum Melanchthonem* cæterosque optimos Professores sedulo secutus est, ut solidiorem ab iis eruditionem, & cognitionem doctrinarum assequeretur: sed & ipse privatim adolescentes instituendo, prælegendo, disputando, aliisque necessariis exercitiis sibi & aliis plurimum profuit. Et cum ipse esset amans disciplinæ, eam quoque studiose exercuit cum iis, quos, ut studia & mores eorum informaret, sibi commendatos susceperat. Non passus est eos levibus & intempestivis ludis, comessationibus & ignavis ociis indulgere, quibus optima pars temporis à plerisque male impenditur, & bonæ horæ siue ullo fructu præterfluunt, vel stipendia ab aliis collata nihil proficiendo abusu turpiter consumuntur.

tur. Quos autem deprehendit in ocio, viciis & genio indulgentes vivere, graviter coërcendo illorum negligentiam ad libros & ſtudia revocavit. Interea dum ſic popularibus ſuis, & aliis privatis diſcipulis inſervivit: Occaſione oblata ſubinde in templo quoque habuit conciones, ut ad Eccleſiaſticum munus deinceps ſubeundum ſeſe præpararet, finemque ſuorum ſtudiorum conſequeretur, nempe verbi DEI profeſſionem, cui ſe totum dedicaverat.

Hæc optimi Viri M. Joachimi Weſtphali induſtria cum laudem apud omnes mereretur tantam, ut jam virtus ejus in patria magis innoteſceret: cumque vel *philoſophicæ* vel *theologicæ profeſſionis conditionem* in Academia *Roſtochiana* ſibi oblatam adire plane decreviſſet: moritur illo ipſo tempore *D. Stephanus Kemp*, Paſtor Hamburgenſis ad S. Catharinam. Deliberatione igitur facta inter Dominos & Juratos illius templi de alio in locum defuncti conſtituendo, & communicato conſilio cum inclyto Senatu: magno & honorifico ſuffragio M Joachimus Weſtphalus, in *Paſtorem ædis D. Catharinæ* eligitur & ordinate vocatur.

Quia autem non libenter prius propoſitum mutabat, Senatum vocantem de ſua voluntate per literas certiorem reddidit, & pro honorifica illa æſtimatione modeſte gratias agendo, obnixe rogavit & monuit graviter, ut propter gloriam Chriſti, & Eccleſiæ ſalutem benigne animo rem conſideraret, & excellentiorem aliquem ingenio

nio & doctrina virum Ecclesiæ tantæ prospiceret; significans se ad tam sublime munus capessendum & administrandum suam infirmitatem ac virium imbecillitatem agnoscere, & justis ac arduis rationibus motum prius oblatam conditionem petere, quæ si concederetur, nihil sibi jucundius atque optatius accidere posse, idque ex re fore non solum patriæ, sed etiam aliarum civitatum ac regionum. Tandem tamen, instantibus Dominis ac Juratis, & Senatu electionem probante, intercedente quoque gravi auctoritate, Reverendi Viri *D. Æpini*, Superintendentis, cujus sollicitam pro Ecclesia curam & optima consilia parvi æstimare non licebat, legitimæ ac justæ vocationi obtemperavit, considerans, DEI voluntate totam actionem regi, & se, quicquid gratiæ ac donorum à clementissimo DEO accepisset, inprimis patriæ & Ecclesiæ DEI promto animo deferre debere. Ne autem videretur præsens munus præter exspectationem oblatum ambitiose petere, aut vehementer ambire: Ecclesiæ liberum de eo reliquit judicium, ut consilio ab omni parte satis ponderato, si quem alium ingenio & doctrina majori præditum & optimorum testimoniis ornatum, ad Ecclesiam illam verbo DEI pascendam magis idoneum arbitraretur, eidem hanc provinciam demandaret.

Cum igitur M. Joachimo publicum ab Universitate *Wittebergensi* pietatis, doctrinæ ac virtutum insigne ac clarum *testimonium* esset datum: idque

idque eo libentius quod ſcholæ & ſtudiis diſcentium utiliſſimam operam navaſſet; ac quod *D. Lutherum*, (cujus menſa & familiari colloquio uſus erat) tot annos graviter diſſerentem, de variis doctrinæ controverſiis frequens audiviſſet, ac ab eo ſalutaris doctrinæ fundamenta in omnibus articulis ipſo Evangelii reſtitutionis tempore fideliter percepiſſet, atque in tanta diſcendi occaſione ita eſſet progreſſus, ut jam appareret, opera ipſius Eccleſiam indigere, ideoque juſſus ſæpe pro concione populum docuiſſet, aliaque neceſſaria ad eccleſiaſticum miniſterium recte obeundum officia lubens feciſſet: cum etiam non deeſſent ipſi privata ejus temporis clariſſimorum hominum, *Philippi*, *Pomerani*, & aliorum recte judicantium teſtimonia: non imparatus, aut illotis (ut ajunt) manibus, ſed veræ Chriſtianæ doctrinæ cognitione ſatis inſtructus, & judicio de omnibus doctrinæ ſacræ controverſiis ſincero confirmatus, tempeſtive admodum in patriam Hamburgum ad miniſterium Eccleſiaſticum vocatus venit, anno ætatis ſuæ triceſimo, cum annos circiter tredecim in Academiis laudabiliter degiſſet.

Eccleſiæ itaque ad D. Catharinam, opus pii Paſtoris in timore DEI fere ultra triginta annos fideliter faciendo, in ſermone laborans & in dilectione, utiliter præfuit. In illo temporis ſpatio multas pias & ſalutares conciones ac enarrationes ſacrorum librorum ſcripſit: ex quibus manifeſte conſpicitur, quantum laboris, induſtriæ

ſtriæ & ſtudii in pura & incorrupta doctrina propaganda ſibi ſumpſerit, quàm ardens fuerit ſtudium defendendæ ac retinendæ veritatis, quàm veris, ſimplicibus, propriis & ſignificantibus verbis in explicatione uſus ſit. Ne autem quis momus, ac contemtor juſtam cavillandi ac reprehendendi cauſam haberet: numerum ſuarum concionum, in poſtrema earum, quas in templo D. Catharinæ habuit, cum nimirum illi Eccleſiæ ſuum cogeretur officium reſignare, indicavit. In eadem concione ſummam doctrinæ à ſe tot annos publicè in illa æde prædicatæ repetivit, addita hac proteſtatione, ſi cui aliquid in iis ſermonibus vel ſcriptis reprehenſione dignum viſum eſſet, aut adhuc arguendum videretur, ei quolibet tempore ex iiſdem bonam rationem reddi poſſe. Ideo enim ſe magna ex parte omnes ſuas conciones integrè deſcriptas conſervaſſe & conſervatas poſt ſe relinquere.

Reliqua ejus ſcripta contra *Anabaptiſtas*, *Sacramentarios*, & alias ſectas, quorum nonnulla ipſe edidit, nullum piis recte ſentientibus eſt dubium, quin utiliſſimam & maxime neceſſariam operam toti Eccleſiæ Chriſti præſtiterint. Venenata enim illorum tela, ſcuto fidei retuſa & abacta ex vero & nativo ſenſu Scripturæ, quem Chriſtus nos docet, diſcutiunt & tanquam leves & inutiles paleas à vento agitatas diſſipant, firmiſſimis argumentis oppoſitis, quibus ſancta Eccleſia Catholica nititur, quorum non humana ratio, ſed Spiritus Sanctus ipſe auctor eſt. In

Z hunc

hunc usum quoque plurima eademque insignia ac perspicua testimonia & sententias patrum orthodoxorum Augustini, Cyrilli, Ambrosii, Hilarii, Chrysostomi & aliorum collegit, existimans, antiquitatis quoque doctrinam & confessionem, ubi cum norma S. Scripturæ & nostrarum Ecclesiarum confessionibus recte congruit in promtu habendam, & in disceptationibus de doctrina adhibendam esse. In quo utilissimo labore tanta usus est vigilantia, & industria, ut ex tomis Augustini, & aliis veteribus doctoribus collegerit, ac propria manu descriptas in aliquot libros digesserit sententias. Hoc opus & hic labor, suas certas horas, summam assiduitatem, & magnum judicium requisivit.

Hoc ardenti studio, & indefesso labore Westphalus tantam sibi in doctrina πληροφορίαν comparavit, ut non solum contra quaslibet impias sectas, & corruptelarum auctores immotus certaret: sed & *fucosas conciliationes* cum hostibus veritatis sæpe frustra tentatas, promta ac gravi oratione refutaret, constanter dissvaderet, ac certissimas rationes è sacra Scriptura afferendo damnaret. Christum dicebat cum Belial conciliari non posse: luci cum tenebris nihil esse commercii. Inimicitias inter semen mulieris & semen serpentis positas, fucosis conciliationibus, aut ullo aliquo rationi plausibili modo non tolli, neque etiam unquam sublatum iri. Affirmabat autem, nullam esse ad stabiliendam concordiam & tranquillitatem Ecclesiæ viam rectiorem

orem, quam ſi ſinceri doctores, paſtores & miniſtri Chriſti fideliter quisque pro ſuo dono, ſuum faciant officium: ſimplicem veritatem juxta normam verbi divini in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis comprehenſam docendo, & perplexam, incertam, impiam & falſam doctrinam, adeoque omnes errores & corruptelas libere damnando & rejiciendo, ſive id mundo placeat ſive diſpliceat, ſive Sathan & omnes impii plorent aut rideant. In hac autem parte quam nihil à vero aberraverit, Eccleſia DEI teſtis eſt, quæ ſemper inde usque ab initio errores atque hæreſes damnavit. DEUS etiam ipſe hanc Eccleſiaſtici muneris præcipuam partem ab omnibus verbi divini præconibus ſerio mandato paſſim in ſacra Scriptura exigit: Eſa. 58. *Clama*, inquit, *ne ceſſes, ſicut tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo iniquitatem*, Johan. 16. *Spiritus ſanctus arguet mundum de peccato*, Tit. 2. *Redarguito eos ſeveriter, ut ſani ſint in fide*, &c. Et exempla Prophetarum, Chriſti & Apoſtolorum, quorum plurima exſtant in concionibus ipſorum, idem monent. Maxime itaque neceſſarium & longe utiliſſimum opus eſt, hiſce præſertim temporibus, eorum qui in puritate doctrinæ Propheticæ & Apoſtolicæ contra tot pernicioſas ſectas tuenda & retinenda omne ſtudium omnemque operam impendunt, ideoque ortos & ſparſos errores & dogmata palam falſa, cum aliter id efficere nullo modo poſſint, aperte taxent, ne incauti plauſibili eorum ſpe-

cie decepti, & ludibrio mali ſpiritus ſeducti, agnitam lucem amittant, ac denſioribus tenebris rurſus occupentur. *Non minor eſt virtus* (inquit ille) *quam quærere, parta tueri.* Quæ virtus, teſte Paulo, cum omnibus Chriſtianis in veræ religionis poſſeſſione eſt conſervanda, tum piis miniſtris Chriſti & fidelibus œconomis myſteriorum Dei in primis convenit, in hac præſertim ultima & effœta mundi ſenecta. Sathan enim per ſua organa horribilius nunc, quam ullis antea temporibus furit, ut Evangelii lucem penitus exſtinguat, & ex multorum animis veritatem & fidem exſtirpet. Plurimos vero, non ſine magno Eccleſiæ ſcandalo & detrimento ab agnita veritate poſt diſceſſum Lutheri defeciſſe, & adhuc plurimos recedere, ac tetros furores ſectari & amplecti, ipſa experientia teſtatur: de quibus in prima Canonica Johannis ſic ſcriptum legimus, *Antichriſti multi cœperunt eſſe, unde ſcimus noviſſimum tempus eſſe, è nobis egreſſi ſunt, ſed non erant ex nobis, nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum.* Huic malo reſiſtere, vera doctrina & ardentibus precibus piorum Doctorum adeoque omnium fidelium miniſtrorum officium eſſe quis non videt?

Quam igitur utile & neceſſarium ſit Eccleſiæ omnibus temporibus, ut DEUS tales paſtores det, doctores & miniſtros, qui non ſolum unanimiter veram doctrinam ſonent, ſed eandem quoque contra Sathanæ & organorum ejus præſtigias & mendacia propugnent, ac graviſſima

ma certamina pro defensione incorruptæ veritatis sustineant: ex seria illa Christi commonefactione intelligitur, ubi ad Apostolos suos dicit: *Vos estis sal terræ, quod si sal infatuatus fuerit, quo salietur? ad nihil valet ultra, nisi ut projiciatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Sal enim infatuatus sunt ministri, qui in reprehendendis erroribus nullam habent acredinem. Et apud Esaiam canes dicuntur, qui non possunt latrare, hoc est, ad falsa dogmata vel vitia auditorum, aut in gratiam magistratuum aut quæstus causa connivent. Ii non solum DEO invisi sunt, sed etiam pedibus conculcabuntur Ecclesiæ, & contemtui habebuntur. Non frustra Apostolus Timotheum hortatur, ut prædicet sermonem, instet *εὐκαίρως καὶ ἀκαίρως*, arguat, increpet, admoneat, cum omni patientia & doctrina. Huic Pauli præcepto ut obtemperetur, his postremis potissimum temporibus, necessitas Ecclesiæ requirit. *Tempus enim erit*, inquit, *cùm sanam doctrinam non ferent, sed juxta concupiscentias suas, coacervabunt sibi ipsis doctores, siquidem illis pruriunt aures, & à veritate avertent & ad fabulas convertentur.* Per Ezechielem Prophetam, DEUS graviter minatur illis, qui faciunt pulvinaria hominibus sub brachiis, & cervicalia sub capitibus, tam juvenum quam senum ad capiendas animas propter pugillum hordei, & fragmen panis, hoc est, qui parvi vel vilis quæstus causa non faciunt suum officium, non recte docent legem & Evangelium, non serio reprehendunt falsa dogmata &

 alia

alia vitia in populo, DEI verbum ad gratiam potentum & suam avaritiam detorquentes, & ministerii fidelitatem, quam Apostolus ab omnibus Christi ministris requirit, postponentes.

Hæc seria mandata DEI, & has severas ipsius comminationes in timore DEI semper considerans D. Westphalus, ut exemplo esset aliis: in directione cordis ambulans, justa sui muneris officia fideliter præstitit, & cæteris, idem facerent, assiduus hortator fuit. Ex DEI igitur præcepto toties inculcato ex divinis comminationibus in Apocalypsis cap. 13. & alibi repetitis plurimisque totius historiæ ecclesiasticæ productis exemplis gravissime ostendit, quam omnibus temporibus periculosum sit & fuerit Ecclesiæ, puram & incorruptam doctrinam Christi, cum corruptelis, quas falsi fratres fingunt, confundere, atque ita vera & falsa cœtui Ecclesiastico simul obtrudere, simplicisque veritatis habere loco, & tot ac impiarum sectarum falsas opiniones *Samaritica* quadam *confusione*, veræ Christianæ religioni aut implicare, aut æquiparare. Itaque vir doctus ex verbo DEI piis & salutaribus consiliis, & monitis instructus Ecclesiæ Hamburgensis saluti in timore DEI consulens, sollicite cavit, ne quid ea verbo & voluntati DEI contrarium reciperet, quo non modò DEUM offensura, verùm etiam aliis scandalo esset futura. Ita justis modis & DEO placentibus stabiliri & conservari piam pacem & tranquillitatem Ecclesiæ maluit, quam injustis etsi plausibilibus

tur-

turbari. Ad hoc, cum integram Ecclesiæ historiam bene nosset, & acta, consilia, plurimas deliberationes, earumque certos eventus, assidua lectione, magna industria, longo usu atque experientia observasset, ac diligenter annotasset: in memoriam ea, quoties necesse erat, revocare & quolibet loco ac tempore ad præsentem casum & oblatum negotium prudenter accommodare scivit.

Proinde inter res ab eo feliciter administratas jure recenseri debet, quod in difficilibus caussis, sive publicam sive privatam salutem spectantibus undecunque allatis, promta & firma dabat consilia, & commodum negotiis ordinem & processum, quem plerumque felix comitabatur eventus, monstrabat. Verba erant ponderata, electa, rebus convenientia, & negotiis accommodata: oratio concinna, nervosa & rebus & sententiis conferta, βραχύλογος qualis in sapiente antiquitate laudatur, rotunda, depressa, non affectata, nihil habens insolentiæ, nihil fastus, nihil supercilii, non præceps aut incogitans, qualis adhuc ex scriptis & dictatis ejus animadvertitur. Inter agendum subinde hæc repetens in ore habuit; *festina lente*, eile mit Weile. *Qui tardius venit, etiam venit*: ut & in illis sententiis, quas paulo ante mortem edidit res gravissimas complectentes, hoc disticho confirmat:

Conficiens iter incedens etiam pedetentim
Et res efficies, non minus ac celerans.

Hoc præceptum ſive aſſvefactione quadam, & proprio ſtudio, ſive ſingulari quodam naturæ ductu, (habet enim quisque ſuum in pronunciando donum) ſequens in publicis concionibus, prælectionibus & in familiaribus colloquiis, voces cum tarditate quadam, non tamen piis auribus molesta efferebat. Nullam concionem habebat, aut lectionem dictabat, niſi à famulo prius deſcriptam, relectam, multumque præmeditatam: ut eadem etiam verba, easdemque ſententias memoriter tanquam ex charta recitaret & latius eadem ſignificantioribus vocibus enarraret aut exponeret, rerumque explicationem certa methodo ac integris periodis inter ſe apte cohærentibus includeret. Quæ ratio dicendi etſi tædioſa eſt vulgo: tamen doctis & intelligentibus probatur: & ipſe Weſtphalus ad doctrinæ genuinam, veram ac methodicam enarrationem, multum ſe juvari tarda ac ſedata pronunciatione dicebat.

Lutherus eam concionatori convenientiſſimam & commodiſſimam viam eſſe dixit, ut faciliore negotio ſingula rectius cogitata, & mente voluta, diligentius explicentur. Ab eodem Cicero ob tardam elocutionem laudatur, qua audientium animos ſtuduit ac potuit permovere. Singularem enim emphaſin habet oratio brevis & nervoſa optimisque ſcatens rebus, quas loci communes cum delectu ad præſentem materiam adhibiti ſuppeditant. Nam paucis multa complectitur, & lectorem vel auditorem

ad

ad doctrinas recte percipiendas attentiorem reddit.

Cum ergo Reverendi Viri M. Joachimi talis fuerit oratio, qualis doctis hominibus artem scientibus placet, quis non jure hanc laudem ipsi tribuat, quod nihil inconsideratè, nihil inconninnè, nihil præcipitanter sine bono fundamento dixerit aut egerit, cujus eum postea pœniteret, ut quidam fictis pasquillis impudenter mentientes de hoc viro sparserunt?

Modestis, piis & eruditis sermonibus recte etiam gestus, gravitatem præ se ferentes, conveniebant. Erant enim sedati tam in suggestu, quam in aliis honestis conventibus & colloquiis: corpore quietus stabat, & animi sensa ore diserto distincte proferebat: vix manus extra manicas protendens, nisi cum aliquid emphaticum textus & materia daret in veræ religionis adversarios, quod in Solone Æschinem laudasse inter actionis præcepta recenseri solet.

Omnia viri consilia, dicta & facta in arduis rebus tam privatis, quam publicis, ex bono, solido & stabili fundamento profluebant. Et quamvis magnis variisque casibus jactatus multumque exercitatus, ac longa experientia edoctus, quid in qualibet re consilii capessendum & ad quem finem tuto perduci illa possent, facile cernebat: tamen in sua solius sententia non hærebat adeo pertinaciter, ut non libenter quid Collegis Pastoribus, cæterisque symmistis con-

 sul-

ſultum videretur, audiret, vel rectiora illorum judicia in medium allata amplecteretur. Suæ vero ſententiæ cum non niſi graviſſimas rationes monſtraret, quis niſi monſtratis melioribus eas auſurus erat improbare?

In curandis & ſanandis Eccleſiæ vulneribus, ac principiis morborum tempeſtivis remediis obſtando per DEI gratiam feliciter laborabat, cum non ſuperficialiter ab extra; ut dicitur, ſed ab intra diſſidiorum cauſas (ut periti medici in morborum corporis curatione facere ſolent) noſſet & eaſdem tollere, parteſque disjunctas ad unanimem ac piam ſententiam juxta normam verbi divini colligare, & ſolide conciliare conaretur. In tali autem ſanatione non alio utebatur remedio, quam verbo DEI, ſine quo omnis in hoc corpore, quod eſt Eccleſia, infelix eſt curatio. Summa igitur hujus doctoris ac boni paſtoris fuit intentio, ut ne grex Chriſti, cujus curam habebat, ab unitate ſpiritus & puritate cœleſtis doctrinæ, tanquam à recto tramite deviaret, aut in ulla fidei parte vacillaret: ſui eſſe officii arbitrans, gregi attendere, & cavere, ne ſe vivo Eccleſia ſuæ curæ commiſſa aliquo errore & ſcandalo turbaretur, ſed ut ſtatum illius poſt ſe tranquillum relinqueret. Itaque cum motas alibi diſſenſiones ſciret (quarum multas non ſine magno periculo & turbatione Eccleſiarum noſtra ætate excitatas fuiſſe & pleraſque adhuc vigere conſtat) omni ſtudio & vigilan-

gilantia laboravit, ut contagia illa ab hac Ecclesia procul arcerentur. Si quando autem noxium quid ac perniciosum in Ecclesia oriri sensit, id tempestive ac prudenter repressit ac submovit. Non passus est tranquillitatem & concordiam inter Evangelii ministros, feliciter acquisitam & stabilitam præter rem labefieri, vel quoquo modo rursus divelli; præsertim cum sciret, nostram Ecclesiam in omnibus Christianæ doctrinæ partibus rectissimam sacræ scripturæ normam sequi, & in docendo cum Propheticis & Apostolicis scriptis, tribus symbolis, Augustana Confessione anno 30. coram Carolo V. ejusque Apologia, Smalcaldicis articulis, scriptis Lutheri cumque confessionibus à se contra *Interim, Papistas, Synergistas, Sacramentarios* & monstrosa consilia *adiaphorica* editis, cumque tota orthodoxa Ecclesia, unanimiter consentire.

Porro cum in magna esset existimatione & auctoritate, quæ plerumque in oculos incurrere & plurimum ponderis habere solet; non solum Hamburgensis Ecclesia ejus fide, doctrina, prudentibus ac salutaribus consiliis freta & optime gubernata in tranquillo statu mansit & adhuc manet: sed & aliæ Ecclesiæ in necessariis ac difficilibus negotiis consilium & operam ipsius sæpe requirebant. Hinc ferè quotidie ipsi ex aliis Ecclesiis epistolæ & scripta offerebantur, quæ viro alioqui assiduis laboribus satis onerato, tantum facessebant negotii, ut etiam, cum aliis sui ministerii officiis non esset occupatus, nul-

nullum propemodum à ſcribendis literis ocium ipſi exſtaret reliqvum.

In decennio illo, quo Eccleſia Hamburgenſis Superintendentem non habuit, & prudentiſſimi Senatus conſilio, auxilio & auctoritate Miniſterium antea inter ſe disjunctum in optimam & utrique parti toterabilem concordiæ formam reſtituendum eſſet: tota negotiorum & laborum moles Seniori incumbebat. Ad hanc illius ſummam diligentiam cum cæterorum quoque Paſtorum pietas, fides, diligentia atque promtitudo accederet, ipſique adjumento eſſet: cunctæ res optime adminiſtratæ rectius ac felicius procedebant. Fuit igitur in illo interregno poſt diſſenſionem amotam, & factam pacificationem, jucundiſſimus totius Eccleſiaſtici Miniſterii, Senatus, civiumque in doctrina conſenſus, qualis adhuc per DEI gratiam durat, & DEO benigne concedente, deinceps durabit.

In his omnibus cum inclytus Senatus Hamburgenſis hujus Reverendi Paſtoris ac boni Senioris Weſtphali fidelitatem, integritatem & conſtantiam anteà quidem ſatis perſpectam, tum vero inprimis bene accurateque exploratam haberet: & jam, propter peregrinornm hominum ex locis ſuſpectis ad noſtram civitatem affluentium, & hoſpitia habitationesque petentium cum civibus noſtris converſationem, nova metueret diſſidia ac pericula: ne noſtra Eccleſia & cum illa tota civitas in diſcrimen veniret,

cum

cum maximo Consulum, totiusque Senatorii ordinis & singulorum suffragio, trium quoque Pastorum, adeoque ministrorum omnium facili consensu & approbatione ad munusSuperintendentis eum elegit, vocavit, constituit. Quod etsi invitus suscepit, provectam ætatem & langvidas vires jam senio & longo labore confectas prætendens: Ecclesiæ quoque longe utilius fore affirmans, si quis viridioris ætatis sincera doctrina, animique & corporis viribus pollens ad hanc Episcopalem functionem ordinariè eligeretur; cujus inspectione diligenti, salutari doctrina, piis precibus & consiliis in gravibus causis huic Ecclesiæ Hamburgensi diu multumque tuto frui liceret, quique præsentibus malis & periculis ovile Christi undique tum infestantibus par esse præstantissimis & summa fide dignissimis videretur: tamē unanimis totius Senatus & Pastorum, quorum sententiam reliqui ministri quoque secuti sunt, optima judicia & consilia prævaluerunt. Tandem itaque in illo amplissimo Dominorum consessu, divinæ voluntati cedebat, & dignissimæ vocationi reverenter obtemperabat, XXIX. Augusti anno à nato Christo MDLXXI Introductio vero solennis in templo D. Petri facta est XXX. die Octobris, eodem anno per Consules, D. ALBERTUM HACKEMAN, D. HERMANNUM WETKEN & D. EBERHARDUM MOLLERUM & per tres Pastores *D. Cyriacum Simon, M. David Penshorn* & *M. Nicolaum Stapborst*, reliquo ordine Senatorio

præ-

præsente: Pastore vero ad S. Petrum nomine Ecclesiæ ipsi officium Superintendentis demandante & Ecclesiam ad obedientiam exhortante, materia ex loco Epistolæ ad Ebræos capite 13. sumta.

Ab eo tempore, quemadmodum in toto pastoratu suo fidelem se servum DEI exhibuerat, ita super majora collocatus similiter in omnibus ad hoc sublime munus pertinentibus officiis, diligentiam, constantiam & fidem suam Ecclesiæ usque ad mortem probavit. Ecclesias in urbe, & extra urbem, sub Senatus Hamburgensis territorio sitas pie & laudabiliter juxta præscriptam ordinationem rexit. *Synodos* duas in duobus sui Episcopatus annis habuit, in utraque Senatus nomine assidentibus *D. Joachimo Holthusen*, & *D. Henrico vam Holte*, Senatoribus: in quibus ita procedebat, ut manè hora nona recitaret orationem quandam, de rebus ad ædificationem Ecclesiæ utilibus & necessariis commonefacientem: post prandium autem in altero consessu quemque sui officii ex ordinantiæ libro adhortarerur. Duas itaque *orationes Synodales* habuit, quarum prior anno 1572. *de Episcoporum & Ministrorum Ecclesiæ Christi officio* ex utraque Epistola Apostoli Pauli ad Timotheum proposita, altera sequenti anno *de εὐταξίᾳ in ecclesia servanda* ministros admonet. Duas quoque recitavit in consessu ministrorum Ecclesiæ, quarum una, à qua publicas lectiones inchoavit, *exhortationem* continet *Apostoli Pauli ad Episcopos & Presbyteros* ex

20. cap.

20. cap. Actorum Apostolicorum, altera *de vitanda πολυπραγμοσύνῃ seu curiositate* doctrinam & commonefactionem maxime necessariam & utilem Ecclesiæ omnibus temporibus proponit. Atque has duas postremas ante obitum orationes juxta fundationem *primæ lecturæ in S. Theologia*, ante annos CLXXVI. per quendam Canonicum *Johannem Vrietze* Magistrum artium fundatæ, ipse publice in lectorio recitavit Anno 1573. Accessit his ultima post mortem illius edita, quam admodum infirma ac debili valetudine affectus conscripserat, eam si vita superstes mansisset, ni fallor, ad Synodum futuram reservaturus: in qua ex verbis Apostoli Pauli, 1. Corinth. 4. (*sic nos existimet homo, ut ministros Christi* &c.) gravissima exhortatione Ministerium Ecclesiasticum à sublimitate sua commendat, & quid quantaque res sit esse ministrum Christi ostendit: deinde fideles ac infideles propriis suis coloribus, quibus ab ipso Spiritu Sancto descripti sunt, depingit, & quemque ad fidelitatem hortatur, sine qua nullum officium administrari pie ac recte potest.

Patientia ejus in laboribus tanta erat, ut etiam tum, cum admodum debilis esset valetudo corporis, nec frigus ferret, quod tunc erat intensius, ne inchoatas enarrationes negligeret, domi in hypocausto, quæ antea collegerat, consvetis horis continuaret. Cum vero morbus nimium crescens adeo naturæ vires debilitaret, ut nullis medicamentis videretur sanandus

dus, neque iis alimentis, quibus natura confortari ſolet, amplius frui poſſet, vix tandem multis precibus amicorum, à lectionibus quievit. Nam in lecto decumbens viribus pæne exhauſtus, *ſententias* aliquot *Theologicas*, res graviſſimas & cognitu digniſſimas complectentes, & *pias precationes* ex ſacris literis, & *ſententias morales* verſibus expoſitas, & ad petitiones orationis dominicæ & ſecundam Decalogi tabulam relatas, typis excudi curavit. Tales ſententiæ adeo ipſi familiares erant, ut plurimas ex his verſibus comprehenſas ad lectum ſedentibus memoriter recitaret. Ita erat aſſvetus laboribus, ut, quamvis corpore deficeret, animus tamen ſuas actiones & operationes exercere, quamdiu vivebat, non deſineret aut defatigaretur. Tantum valet in bonis ingeniis aſſiduus labor, ut & Cicero ſcribit, memoriam exſtingvi præſertim in ſenibus, niſi exerceatur: & ipſe Weſtphalus in illis, quarum jam feci mentionem, ſententiis, laborem commendans, ſic ait: *Bona ingenia nutrit labor*, idque ſuo exemplo probans hos addit verſus:

Me juvat ipſe labor, natus ſum namque labori,
Hôc lætum mirè paſcitur ingenium.

Porro cum in omnibus actionibus ad officium Eccleſiaſtici gubernatoris pertinentibus: tum in eo quoque ſollicitus ac fidelis labor hujus Superintendentis erat conſpicuus, quod exteros quosdam hoſpitiis & cæteris commoditatibus in urbe fruentes, & erroribus ſacramentariis & aliis infe-

infectos, ne iisdem erroribus Ecclesia & patria nostra corrumperetur, per pia examina & colloquia ab impio dogmate revocare, & ad normam fidei reducere conabatur. Cumque pacis & concordiæ amantissimus esset, pro virili semper studuit, ut honesta, perpetua & stabilis esset Ministerii Ecclesiastici, politici Magistratus ac subditorum in timore DEI conjunctio. Quod ita demum se rectissimè præstiturum arbitrabatur, si dissidia jam orta, ac odia & rixas componeret, & causas, ex quibus oriri solent, velut otium ignavum, avaritiam, superbiam, aliaque vitia, quibus multos & quidem non infimi ordinis homines deditos esse videbat, è medio tolleret. Etsi vero, quod optaverat, sæpissimè non impetravit; tamen quod sui erat officii, veluti & in aliis rebus, non neglexit. Cupiebat enim omnia ad expressam normam verbi divini dirigi, & vel tolli vel emendari, quæ cum pietate & fide pugnantia Ecclesiæ scandalum præbere, & contemtum verbi DEI alere animadvertebat. Hac de causa quoque *sacrorum locorum profanationem*, quàm impunè exerceri *ab institoribus* & aliis videbat, severiter ex manifesto DEI mandato, clarissimis sacræ scripturæ testimoniis, & exemplo Christi, non permittentis, ut quisquam portaret vas per templum, reprehendit, & ut tolleretur, effecit. Hoc opus, hic labor fuit pio Superintendenti, ut non solum pacatam & tranquillam, sed etiam optime ordinatam & benè constitutam post suum obitum

Ecclesiam relinqueret. Quod fieri non posse existimavit, nisi totum corpus cum omnibus suis membris ad normam verbi divini esset instructum, &, si nihil exsisteret, quod vel distractionum vel dissidiorum, vel turbarum causam aliquam præbere posset. Hæc tanti viri summa prudentia omnes nos de vero Chtistianæ concordiæ ac pacis tuendæ & confirmandæ modo admonet: quæ tum demum vera & Christiana censenda est, cum pura & sincera doctrina Christi, qua alitur, & sustentatur, constanter in omnibus fidei articulis defenditur, & huic contrariæ rationis humanæ opiniones, quibus turbatur & labesit, confutantur, damnantur & abjiciuntur, denique cum, quodcunque inordinatum, indecorum & deforme in Ecclesiis aut politiis exsistit, tanquam noxium membrum à corpore reciditur & separatur. Piam autem sollicitudinem suam pro Ecclesia Christi Westphalus, cum valetudo admodum debilis esset, ostendens, quædam, quibus amplissimus Senatus post illius ex hac vita discessum de rebus necessariis admoneretur, dictavit, ipseque primum manu propria subscripsit, deinde pastores quoque subscribere voluit: inter quæ hoc est principium. *Quod rogat Senatum veluti pium magistratum & DEI vicarium, ut Ecclesiam, puram doctrinam & religionem Domini nostri Jesu Christi inprimis sibi commendata habeat, idque summa diligentia curet & agat, ut Christiana Ecclesia in agnita & confessione declarata veritate piè & unanimiter confirmetur & conservetur, nec Sacramentario-*

tariorum errores, aut ulla alia falsa dogmata irrepere & locum invenire sinat, utque oportuno tempore pium & fidelem Superintendentem legitime juxta hujus ordinationis Ecclesiasticæ præscriptum eligat & constituat, & electio libera sit, nec suum Pastoribus jus præripiatur: ac ut Superintendens Sacramentariorum omniumque aliarum sectarum, errorumque hostis sit: sanam vero doctrinam, verbum veritatis firmiter teneat, ac constanter defendat, & nulla ratione ad partes contrarias sit aut unquam fuerit inclinatus. Ad hoc multum profuturum monebat, si prudentissimus Senatus una cum quatuor parœciis id curaturus esset, ut Pastores prorsus in omnibus articulis Christianæ doctrinæ unanimes & consentientes manerent. Hinc dimanare affirmabat bonam concordiam inter cæteros Ecclesiæ ministros, & ex ministerio oriri laudabilem, sanctam & salutarem conjunctionem inter politicos magistratus, inter cives & universam plebem, juxta Psalmum 133. *Ecce quam bonum & quam jucundum* &c. & secundum admonitionem Pauli, 1. Cor. 1. *Obsecro vos fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idem loquamini omnes, & non sint inter vos dissidia, sed sitis integrum corpus, eadem mente & eadem sententia.*

Cum igitur Reverendus & pius Superintendens D. Joachimus Westphalus piæ memoriæ summa cura, industria, assiduo labore & magna sedulitate suum in timore officium faciens, eum sit finem assecutus, ut non solum se vivo, sed & post suum discessum ex hac mortali vita, opti-

mus per DEI gratiam Ecclesiæ Hamburgensis status in tranquillo maneat: cum res tantas ad DEI gloriam, patriæ & multorum salutem gesserit: cum de tota Ecclesia optime meritus sit, utilissima posteritati opera relinquendo, & tam aliorum quàm suæ Ecclesiæ & suorum privata commoda & salutem spectando utiliter laboraverit, unde præclara atque honesta ei fama nominis apud exteros manet: cum denique per totum vitæ suæ curriculum ita se gesserit, ita fidem Domino suo probarit, ut gaudens cum Apostolo dicere potuerit: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi* &c. virum illum tam eximiis ac divinis virtutibus & donis ornatum salutare ὄργανον Ecclesiæ & fidelem Christi ministrum fuisse, quis non verè judicet.

Consilia, deliberationes, acta & eventus, heroicas illius virtutes prædicant & testantur, manum DEI cum ipso fuisse. Nullius enim gubernationem felicem & salutarem vel Ecclesiæ vel Reipublicæ sine DEO exsistere posse, Johannes Baptista affirmat, inquiens: *οὐ δύναται ἄνθρωπος λαμβάνειν οὐδὲν, ἐὰν μὴ ᾖ δεδομένον αὐτῷ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ.* Et Christus: *Sine me nihil potestis facere*, & Psalmo 1. dicitur: Dominum novisse viam, hoc est, vocationem, doctrinam labores & opera justorum seu piorum approbare & adjuvare.

Lucebant etiam in Westphalo virtutes tanto viro dignæ, pietas, fides erga DEUM, amor ve-

veritatis, rectum sincerum & firmum judicium de omnibus doctrinis, perspicacia, & dexteritas in judicando, patientia in laboribus, in rebus adversis fortitudo animi, quem neque metus, neque favor potentum à recto tramite abstrahebat. Erat justus, modestus, castus, sobrius, liberalis erga pauperes, præsertim scholasticos, & alios pios exsules Christianæ fidei addictos, parsimoniæ studens, frugalis & bonus œconomus, qui suæ domui bene præerat: Erat sedulus & assiduus in justis vocationis officiis: omnia tempestivè agebat: in consiliis dandis erat promtus, felix, prudens, circumspectus, ut nulli fieret injuria, sed utrique parti recte consuleretur.

Tanta quoque in hoc viro erat magnitudo animi, ut (non tamen arroganter) fateretur, se in magnis periculosisque tempestatibus Ecclesiam turbantibus nullo unquam metu perculsum fuisse; *Adeò eum bona causa intrepidum fecerat.* Nam cum paulò ante, quam Superintendentis munus illi commendaretur, adeo vehementes calculi dolores sentiret, ut propemodum de vita desperaret, & ad lectum adstantes duos Pastores, *D. Cyriacum Simonem, & M. Nicolaum Stapborst*, qui eum visitandi gratia accesserant, adhortaretur, ut in bona causa nihil paverent, quin potius viriliter agerent, & præsenti animo suum facerent officium, & scirent sibi divinitùs id impositum esse; DEUM enim semper adesse causæ justæ, & justos nunquam deserere: suum illis exem-

 plum

plum propoſuit, inquiens, ſe ingenuè fateri, quod per DEI gratiam in vita ſua nunquam formidaſſet. Quod ſanè magnum indicium eſt, animi ſibi non malè conſcii, & magna fide prædíti: ſub pudore enim ac metu vel ignorantia vel cauſa injuſta plerumque latere ſolet, ut dicitur:

Frangit & attollit vires in milite cauſa,
Quæ niſi juſta ſubeſt, excutit arma pudor.

Sequamur igitur juſtam cauſam ſemper, & in ea defendenda conſtanter perſiſtamus: patrocinia vero impia adverſus DEUM nulla ſuſcipiamus, quia nequaquam ſubſiſtent: Non moveat nos, ſi major & præſtantior pars imo totus mundus nobis infenſus in contraria feratur, aut cœlum ruat: modo DEUM à noſtris partibus retineamus. Si DEUS pro nobis, quis contra nos? Etſi enim adverſarii, magna ſapientia, potentia & auctoritate præditi ſunt, ac eximiam juſtitiæ ſpeciem præ ſe ferant: tamen ad tempus tantum florent, & tandem evertuntur, & in ventum ut paleæ diſperguntur. Juſtorum vero viam novit Dominus, ſtudia, doctrinam, labores & opera eorum ex fide & Spiritu Sancto profecta reſpicit, hinc DEO grata & Eccleſiæ ſalutaria faciunt.

Totam hiſtoriam vitæ Weſtphali ſi accuratiſſime adſpicias & ſingulas ejus partes ad amuſſim examines; non invenies eum aut falſum aliquod dogma approbaſſe ac defendiſſe, aut incau-

caute partibus eorum, qui errores vel corruptelas sparserunt, adstitisse. Quod autem perfecto odio oderit sectarios, id omnibus piis, qui eum recte noverunt, perspicue constat: præterea id ore, scriptis, cæterisque actis manifestum fecit, dum certamina pro veritatis defensione non fugit, út mercenarius, dum in tempore tentationis non recessit, non obmutuit, ubi confessio edenda erat, neque ubi impiis contradicendum, arundo fuit, quæ à vento agitatur. Puram enim Evangelii doctrinam ardenter amplexus est, studiose defendit ac propagavit, & constanter refutavit quoscunque errores, ut *Papistarum* & *Anabaptistarum*, item *Sacramentariorum*: ut *Cinglii*, *Carlstadii*, *Oecolampadii*, *Calvini*, *Petri Martyris*, *Lasconis*, *Boquini*, *Hardenbergii* & similium, qui nostro tempore rectam doctrinam & fidem, de cœna Domini depravarunt, & adhuc errores suos propugnant, item aliarum, quocunque nomine appellentur, sectarum. Non est autem à quoquam auditum vel in exitu vitæ, vel toto morbi tempore, aut unquam ante, quod illum pœnituerit eorum, quæ ratione officii docuerat, scripserat aut egerat, certus, quod firmissimo fundamento niteretur, ex quo etiam cuilibet poscenti promtam de doctrina & confessione sua rationem reddere, quocunque tempore potuisset.

Sentiens vero tandem, se sine intermissione magis, magisque viribus destitui, nec ullam recuperandæ valetudinis spem sibi fore reli-

quam,nihilque amplius se scire existimans, quod Ecclesiæ aut suis mandaret: ad orationem se convertit, & secum orare jubens adstantes, iisdemque subinde luctum parans, *ego*, inquit, *deficio quidem quod ad hanc vitam, sed ad alteram æternam vires recupero, quia ad eam continuus mihi cursus est: Vale munde, Vale munde, Christus vita mea, mori mihi lucrum, cupio dissolvi & esse cum Christo. In manus tuas Domine commendo spiritum meum: Redemisti me DEUS veritatis; In te Domine speravi, non confundar in æternum.* Deinde recitatis articulis fidei & oratione dominica ultimam petitionem cum conclusione, Amen, sicut in cantico à Luthero duobus postremis versibus exposita est, unà cum astantibus elevata voce cecinit. In recitatione orationis Dominicæ cum singulari affectu pronunciavit petitionem: *Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris*, addens, *remitte & mihi debita mea, & ego remitto omnibus inimicis meis, & opto illis, ut convertantur ac salventur.* Mortuus est itaque anno ætatis suæ LXIV. qui cum ex sermonibus ipsius adhuc vivi, tum ex scriptis post illius obitum repertis colligitur. Sæpe de præcedenti anno ut climacterico, in quo vehementer ægrotare cœpit, & non diu post initio sequentis anni è vivis discessit dicere solitus erat, se, si eum annum incolumis esset evasurus, vitæ præsentis prolongationem aliquam sperare. Verùm, morbus, ex nimia stomachi infirmitate, de qua sæpe conquerebatur, paucis diebus ante eclipsin lunæ cœpit, & post ean-

eandem crevit continuè, donec tandem exhaustis viribus in Christo placide obdormivit die Januarii XVI. vesperi hora septima anno à nato Salvatore MDLXXIV.* cum annis fere triginta tribus incorruptam Evangelii doctrinam & ore & scriptis esset professus, & suam Ecclesiæ Hamburgensi in ea propaganda assiduam ac fidelem operam navasset. Corpus ejus, sicuti in *Testamento* voluerat, in *ædem D Catharinæ* deportatum atque honorificè sepulturæ traditum est in Choro, ubi nunc lætam resurrectionem exspectat. Post peractas funeris ceremonias redeuntibus è templo mox conspecta sunt in aëre fulgura, haut dubiè in signum & testimonium, quod mors hujus sancti viri in conspectu DEI sit pretiosa, & quod merito tota Ecclesia illam lugere debeat, sibique de futuris malis metuere, hac sacra ancora in mediis fluctibus & tempestatibus, ubi ea maxime opus erat, amissa. Filius autem DEI omnipotens ac verus gubernator, Cymbam suam inter medios fluctus sævasque tempestates, à quibus undique impellitur, summe periclitantem, juxta promissionem certissime consolabitur, eriget, liberabit, & sua potentia conservabit, ut & in versu Sybillino à Plutarcho in Solonis vita citato dicitur: *ἀσκὸς βαπτίζῃ, δῦναι δέ τοι οὐ θέμις ἐστί.* Eundem etiam toto pectore oramus, ut hanc Ecclesiam & pa-

* Idem annus notatur hoc Eteosticho:

HIC IaCet heV fIXa IoaChIMVS VVestphaLVs Vrnâ,
QVI reX ChrIste tVI pastor oVILIs erat.

triam nostram, in pura doctrina Evangelii, & vera Religione clementer tueatur, mittat pium Superintendentem in locum defuncti, qui & ipse similiter incorruptam veritatem amplectatur, & defendat constanter, det semper fideles doctores, pastores, ac ministros sui verbi, ac nos quoque faciat organa salutaria per suam gratiam, pium etiam Senatum in agnitione & confessione verbi salutaris gubernet, & unà cum tota Ecclesia & Republica incolumem servet, ad sui nominis gloriam, publicæ pacis diuturnam conservationem, & totius patriæ salutem.

Amen.

M. JOACH. WESTPHALI
PRECATIUNCULA:

Cor pavidum trepidumque, DEUS, rogo, des mihi nunquam,
Obfirmes animum speque fideque meum.

EPITAPHIUM
AGNETÆ,
CONJUGIS D. WESTPHALI, non multo post illum è vivis exemptæ:

Hic prope dilectum Conjux AGNETA maritum
Hei jacet, eximii pulcra corona Viri.
Sic quos fidus amor vivos sociaverat, ipsos
Mors nequiit morsu dissociare suo.

Quin

Quin etiam ſurget, carô ſurgente marito
Cum dederit latos buccina clara ſonos.
Vivaque cum vivo ſuperas adſcendet in auras
Et nullum tempus quo moriatur erit.

Dominis & Hoſpitibus ſuis
GEORGIUS NIEMEIER,
Neoſtadianus cum lacrymis F.

MEMORIÆ
JOACH. WESTPHALI,

REVERENDVS ET CLARISSIMVS VIR M. JOACHIMVS WESTPHALVS, CVM IN HAC ÆDE D. CATHARINÆ EVANGELION CHRISTI VLTRA ANNOS TRIGINTA FIDELITER DOCUISSET, AC DEINDE SVPERINTENDENTIS MVNERE IN ECCLESIA HAC HAMBVRGENSI BIENNIO LAVDABILITER FVNCTVS ESSET, BENE DE PATRIA ET TOTA ECCLESIA MERITVS, A SALVTARIBVS LABORIBVS ET OPERIBVS FATO BENIGNO QVIESCENS, PLACIDE IN CHRISTO OBDORMIVIT ANNO CHRISTI M. D. LXXIV. DIE XVI. JANVARII, ÆTATIS LXIV. CVIVS ANIMAM CHRISTVS HABET, CORPVS HOC SAXO TEGITVR.

EPI-

EPIGRAMMA
IN INSIGNE REVERENDI VIRI
D. WESTPHALI,

Quod fuit Gloriosissima Resurrectio Christi de victa morte, Diabolo & inferno triumphantis.

WEstphalus in CHRISTI generosus miles honorem,
In cœlo, â Christo parta, trophæa gerit,
Et meritis Christi nixus post fata triumphat,
Pestiferum victor nunc super omne genus.
Gratia dîa virum pugnare & vincere fecit
Doctrina, studio, moribus, ingenio.
Spiritus æthereis de sedibus arma ministro
Contulit hæc, nullis diripienda modis.

I. METH.

VERITAS VINCIT ET TRIUMPHAT.

LAPIDIS SEPULCHRALIS INSCRIPIIO in Choro Catharinæo ante Altare.

CLARISSSMUS DN.

M. JOACH. WESTPHALUS,

Hujus ædis Pastor, ultra annos 30. fidelis, inde Ecclesiæ Hamburgensis Episcopus Cathedralis, biennio peracto, piè obdormivit, A. 1574. die Ian. 16. ætatis 64. cujus anima in manu Christi, corpus in hoc suo quiescit cubili.

Cor-

Corpus humo, Superis animam, sed nomen in ævum,
WESTPHALIUS hac celebri præsul in urbe dedit.
Liber ab his Vitæ Curis insignia Christi
Sola resurgentis marmore sculpta tenens.
Nam Cœlo meliore sui nunc parte receptus.
Vivit & in Christo Tartara vicit ovans.
Hic docuit sex lustra duos sed & insuper annos
Sceptra Cathedrali gessit in æde senex.
Ad tumulum pietas, virtus, constantia mœsto
Pectore deplorant, fata Suprema Viri.

Alia vide in Inscriptionibus Hamburgensibus à Nobiliss. Anckelmanno collectis, num. 81.

CATALOGUS SCRIPTORUM JOACHIMI WESTPHALI,

De Officio Magistratus & subditorum, & de legitima defensione doctrinæ D. Pauli, Rom. XIII. explicata. Francof. 1553. 8.

Epistolæ de religionis perniciosis mutationibus, Magdeb. 1550.

De custodiendo pretioso thesauro Verbi DEI. 1550. 4. *Germanicè.*

Farrago confusanearum & inter se dissidentium opinionum de Cœna DOMINI ex Sacramentariorum libris congesta. Magdeb. 1552. 8.

Recta fides de Cœna DOMINI, ex verbis Pauli & Evangelistarum demonstrata. 1553. 8.

Collectanea Sententiarum D. Aurelii Augustini *de Cœna DOMINI. Addita est confutatio vindicans à cor-*

à corruptelis plerosque locos, quos pro se ex Augustino falso citant Sacramentarii. 1555.

Adversus cujusdam Sacramentarii falsam criminationem justa defensio, in qua de Eucharistiæ causa agitur. 1555.

Epistola qua respondetur convitiis Johannis Calvini. 1557.

Brevis Responsio ad scriptum Iohannis à Lasco, *in quo Augustanam Confessionem in Zwinglianam transformat.* id.

Confessio fidei de Eucharistia Sacramento, in qua Ministri Ecclesiarum Saxoniæ solidis argumentis sacrarum litterarum astruunt corporis & sangvinis Domini nostri JESU CHRISTI præsentiam in Cœna sancta, & de libro Joannis Calvini *ipsis dicato respondent. Magdeb.* 1556. 8.

Justa defensio adversus Johannem à Lasco. id.

Confutatio mendaciorum Calvini, *seqvuturæ Apologiæ adversus ejus furores præmissa.* id.

Apologia ad ultimam admonitionem Calvini. id.

Explicatio verborum Johannis: in sua venit, & sui eum non receperunt. *Ursellis 1568. Germanicè 8.* cum præf. Cyriaci Spangenbergii.

Argumenta de Operibus. id.

Historia Vituli aurei Aaronis Exod. XXXII. ad nostra tempora & controversias accommodata, cum Germanica versione Epistolæ D. Io. Æpini, *nomine Rev. Ministerii Hamb. scripta* ad Philippum Melanchthonem *de Adiaphoris. Magdeburg.* 1549.

Brevis comprehensio argumentorum, quibus servitus feren-

renda in Ceremoniis à Papistis per eorum ministros imposita improbatur. id.

Libelli duo, quorum altero firmis rationibus adseritur, quod obsistentes præsenti mutationi in Doctrina & ritibus non moveant certamina de rebus parvis & non necessariis, in altero evidenter ostenditur, quod auctores & suasores de doctrina & pseudadia hoc tempore novandis, Antichristo in fraudem DEI gratificentur. 1549.

Tractatus cur in Ecclesia DEI ritus processionum & circuitus sit abrogatus. 1553. 8.

De necessitate & efficacia precum 1564. *Germanice.*

De Evtaxia Oratio, in Synodo recitata. Hamburg. 1573. 8.

Preces ex Evangeliis & Epistolis Dominical. & Festivalibus post Conciones prælegendæ. Hamb. 1597. 8. 1634. 8. *Germanice.*

EPICEDION
REVERENDO VIRO
M. JOHANNI FREDERO*
scriptum à
FILIO JOHANNE FREDERO.

MAximus obliqui terrarum conditor orbis
Quem Dominum metuunt cuncta creata suum.

Non

* De hoc Joh. Fredero, Seniore, Coslino-Pomerano, qui Hamburgo (ubi ab A. 1537. Conrector & ab A. 1540. Lector Secundarius in templo Cathedrali fuerat) A. 1547.

Non faber exſtructum ſolet ut relinquere navem
Debile ſic hominum deſerit ille genus.
Nec cœco quicquam patitur contingere caſu,
Incerta mundum vel ratione regi.
Omnibus à prima ſed ſemper origine rebus
Adfuit, has dextra cunctipotente fovens:
Non caſu cœtus hominum ſunt tempore cuncto
Servati, heroum millia totque virum.
Sed pater immenſum nutu qui dirigit orbem
Hoc facit, hæc illi cura, laborque placet.
Artibus inſtructos Doctores excitat ipſe,
Erudit, & ſancto Flamine corda ſuo,
Ipſe regit mentes, animos illuminat, atque
Ad ſtudium veri pectora noſtra movet.
Nil humana poteſt præſtare ſcientia recti
Aut propriis quicquam viribus efficere.
A nitido ſi non DEUS auxilietur olympo,
Cœleſtem nobis ni quoque mittat opem.

Hac

1547. diſceſſit & Stralſundi primum deinde Wiſmariæ Paſtorem ac Superintendentem geſſit obiitque A. 1562 conſulenda Davidis Chytræi Oratio, ſeparatim edita Roſtoch. 1563. 4. & inter Chytræi Orationes pag. 628 ſeq. Tum B Dav. Sculteti der von Schulen zu der Kirchen beruffene Hamburgiſche Prediger p 74 ſeq. Filius Johannes Frederus, Hamburgenſis, obiit Roſtochii Profeſſor Theol. ac Superint. A. 1604. De quo adi Max. Rev. D. Georg. Henrici Gœtzii Elogia Germanorum Theologorum A. 1709. edita p. 5. ſeq.

Hac ſine fallacis nam quid ſapientia mundi
Prodeſt? quid refert omnia ſcire? nihil.
Ergo pii certo Doctores nobile donum
Suntque ſacro-ſancti munus opusque DEI.
Gentibus ex multis per quos Eccleſia Chriſti
Colligitur, miro creſcit & aucta modo.
Qui terrent homines peccati mole gravatos
Et Domini monſtrant juſſa ſevera DEI.
Territa qui miti recreant ſolamine rurſum
Corda, mali prorſus nilque timere jubent.
Queis plantat cœlum magni DEUS arbiter ævi
Colligit & cœtus hac ratione pios:
Qui læti tandem divina luce fruentur
Atque colent rutili regna beata Poli.

TAlis JOHANNES FREDERUS Doctor & alto
De cœlo doctus dogmata ſacra fuit.
A tenero claris præſtans virtutibus ævo,
Qui ſancto didicit corde timere DEUM.
Ingenuas doctæ qui novit Palladis artes,
Nec non Muſarum gloria magna fuit.
Pacis amans, lites & iniquæ prælia lingvæ
Odit, rixarum verba proterva vetans.
Non ſævo tumuit faſtu, nec concitus ira
Affectus ſtudiis dedidit ipſe malis.
Sed pravi ſceleris, turpisque libidinis expers
Officium geſſit ſedulitate ſuum.
Eximium propter ſtudium pietatis, amicus
Atque tibi charus, dive Luthere, fuit.

Hoc tua testantur spatiosa volumina, fecit
Quæ solum studii dextera cura tui.
In queis JOHANNIS FREDERI. clara manebunt
Nomina, terrarum machina donec erit.
Ardua florentis sita sunt ubi mœnia terræ
Hamburgæ, à veteri quæ Iove nomen habet:
Huc est à celebri missus Doctore Luthero
Traderet ut verbi dogmata, CHRISTE, tui.
Adductus monitu, docti jussuque Senatus
Muneris ætherei grande subivit onus.
Præsusis Æpini factus Collega Johannis
(Qui caput urbis erat, prima columna, decus)
Commissum docuit cœtum pietate, fideque
Et sancto placidas gramine pavit oves:
Infracto CHRISTI defendit pectore verbum
Non veritus tristes corde tremente minas.
Sic Hamburgiacam divino lumine plebem
Instituit, messem sic coluitque sacram.
Denique præclaras sublimi carmine laudes
Hamburgæ ad cœli sidera cessa tulit.
Ac votis tandem communibus inde vocatus
Urbis Sundanæ splendida tecta subit.
Aque Magistratu delectus Episcopus, oras
Sundenses rexit sedulitate, fide.
Grataque salvifici fundens mysteria verbi
Divinæ laudis buccina clara fuit.
Sed spatium fuerat lapsum vix unius anni
Postquam ibi monstrarat lætus ad astra viam:

Papa

Papa suis totum decrerat fraudibus orbem
Obruere, & variis ludificare dolis.
Ediderat parvum de Relligione libellum
Ut tenerum CHRISTI falleret arte gregem.
Interim erant isti vano data nomina libro
Recte: nam multas *interimebat* oves.
FREDERUS vero nolens injusta probare
Acta, nec ad turpes conticuisse dolos.
Cogitur aëreis subito valedicere muris
Sundii, & infirmi linquere ovile gregis.
Est mala constanti (nil fingo) plurima corde.
Perpessus, placidè fata maligna tulit.
Nam voluit muto similis non esse catello,
Qui non latratus edere rite queat.
Qui veniente lupo vix audens hiscere, tristes
Agnos permittat dilacerare feris:
Sed voluit solitam potius rellinquere sedem
Maluit ærumnas ferreque mille graves:
Quam sancti rectum verbi corrumpere sensum,
Somnia vel populo vendere vana rudi.

Urbs jacet illustris Pomeranæ gloria terræ
A gryphe & sylva nomen adepta suum.
Annuit hæc alacri FREDERO postea vultu
Dulceque deserto præbuit hospitium.
Tradita Ruganæ moderamina publica gentis
Gessit & Aonios duxit honore choros.
Testari dives poteris tu Rugia, quânam
Fecerit officium sedulitate suum.

Quo ſtudio, cura, qua dexteritate, fideque
  Sanctis præfuerit cœtibus ille tuis.
Aſt inſons tulerit quantas hoc munere fungens
  Ærumnas, famæ quantaque probra ſuæ.
Jam ſtudio pacis non dicent carmina, verum
  Linquimus hæc ſummo diſcutienda DEO.

EMporii tandem veteris pervenit ad oras,
  Nomine quod priſco tempora clara tulit.
Wiſmaris huic nomen: nitidis quæ ſplendida tectis
  Erigit excelſum lucida ad aſtra caput.
Aſt hæc cum tetris errorum ſordibus eſſet
  Obruta, vel vitiis commaculata malis:
Ac etiam fido Superintendente careret
  Poſſet qui amoto, vera docere, dolo:
Munera presbyteri FREDERO ſancta tributa
  Tum fuerant juſſu, conſilioque Ducum,
Ut vigil excubias ageret, ne turba luporum
  Imbelles Chriſti dilaniaret oves.
Mandatis igitur parens, & grata capeſſens
  Juſſa Ducum, nigri qui bovis ora gerunt:
Præpoſuit populo vitam præcepta regendi
  Exemplo movit pectora multa ſuo.
Inſtinctuque DEI ſcelerati crimina mundi
  Arguit, & vigilans in ſtatione fuit.
Impia legali commovit pectora voce
  Et trivit grandi ferrea corda ſono.
Svavia converſis etiam ſolamina dixit
  Mentibus, affirmans nil ſupereſſe metus

Si

Si modo crediderint certo quod pendeat omnis
A ſolo CHRISTI ſangvine noſtra ſalus.
Præterea ſemper vanis erroribus omni
Conatu, ſtudio reſtitit atque pio.
Erudiit ſancto Paulinæ fulmine lingvæ
Hæreſium ſcatebras linquere juſſit eos:
Qui pia baptiſmi corrumpere verba ſtudebant
Et cœnæ Domini dogmata vera ſacræ.
Ah! hominum quoties pravorum turpia forti,
Ah! quoties inſons ſcommata mente tulit.
Ah! quoties placido patiens convitia corde
Defendit ſummi dogmata vera DEI.
Ah! quoties ſubiit divini nominis ergo,
Æquo animo vitæ ſæva pericla ſuæ.
Aſt quid Mundus iners egit, rectène monentis
Audivit grato pectore verba viri?
Indignas equidem perſolvit (credite) grates
Scommata non ullo dum caruere modo.
Vellere quos cupiit rabidis ex faucibus orci
Et ferre in regni templa beata DEI.
Hei iſti nimium nimium mala præmia tandem
Paſtori fido quàm retulêre ſuo.
Sed quid ego miſeris indulgeo ſæpe querelis?
Triſtia quid mœſtis fletibus ora rigo?
Anxia cur toto ſuſpiria pectora ducens,
Corporis attenuo pallida membra mei?
Cur nimio gemitu defunctum lugeo patrem
Frenaque do guttis liberiora meis?

Cum dubium non ſit, quin mortis agone ſub ipſo
Sit rectà patriæ raptus ad aſtra ſcholæ.
Et nova jam capiat cœleſtis gaudia vitæ
Angelicos inter vivat, ovetque choros.

EPITAPHIUM
HONESTISSIMÆ ET LAUDATISSIMÆ FOEMINÆ
ANNÆ FALCKEN,
M. JOHANNIS FREDERI CONJUGIS.

EHeu fatales triſtiſſima numina Parcæ
Ah! vos quæ tanto cauſa furore movet?
Quid tamen ad ſtygiam quæſo vos concitat iram
Quæ nova vos rabies, qui fremitusvè tenet?
Quid prodeſt ſemper fletus moviſſe tepentes?
Lædere nos lacrymis quid ſine fine juvat?
Afficitis ſæva cur meque measque ſorores
Triſtitia, curis nos premitisve novis.
Parcere cur vultis nulli, diſcrimine nullo
Omnes immiti corripitisque manu?
O rabidæ nimium Parcæ, nimiumque ſeveræ:
Quarum nec parcunt perfida fata piis:
Hei juſto citius noſtræ ſunt ſtamina matris
Rupta, ſubeſt numeris juſta querela meis.
Quam nobis etenim rectè prodeſſe, ſuperſtes
Nosque juvare ſua quam potuiſſet ope:

Ipſi

Ipsi tam subito ni mors clausisset ocellos
 Arbitrio summi sic moderante DEI.
Sed quas inferias & quæ tibi dulcia mater
 Pignora solvemus, munera quæve tibi?
Post obitum tristem, miserandaque funera certè
 Possumus haut meritis præmia ferre tuis:
Attamen ut certum nostri sit pignus amoris
 Sincerum gratæ mentis & exstet opus,
Marmoream versu tali signabimus urnam
 Urnam, quæ cineres, & tua membra tegit:
Hic sita sunt ANNÆ FREDERI CONJUGIS ossa:
 Præstans sincera quæ pietate fuit.
Quam commendavit splendoris nomen equestris
 Et patris claræ nobile stemma domus.
Nam genus antiquo Falconum à sangvine traxit:
 Qui nunc illustri nobilitate vigent.
Doctrinaque viri mira præstantis Iönæ
 Conjuncta uxori sangvinitate fuit:
Reddidit hanc celebrem nec solum gratia formæ
 Quodque fugax litis, sobria, comis erat:
Grandia pauperibus quod læto munera vultu,
 Et miseris gratam sponte ferebat opem.
Sed probitas, virtus, & casti fama pudoris,
 Qua decus haut aliud fœmina majus habet.
Proh dolor! hanc vero nimium properantia fata
 Ex hac humana surripuere domo.

Hoc tumulo cineres servantur, Spiritus aulam
Accessit lætus, CHRISTE benigne, tuam.
Illic cum natis & carô conjuge vivens
Aspectu fruitur colloquioque DEI.

BREVE ELOGIUM VALENTINI WUDRIANI, Pastoris ad S. Petri.

Valentinus Wudrianus natus est Anno MDLXXXIV. die 23. Febr. in vico Pomeraniæ anterioris *Santschovia* ad Tolensam, qui uno milliari à civitate Demmino distat. Pater ejus *Valentinus* in hoc pago tum temporis gerebat officium Pastoris Ecclesiæ, unde postea Demminum vocatus, Diaconi munere ad obitum usque perfunctus fuit successore relicto genero *Joachimo Voito*, qui aliquot annis interjectis Neokaldum Megapolitanæ ditionis opidū allectus fuit, ut ibi gregem sibi commissum verbo divino pasceret. Filiæ nomen *Evæ*, Matri *Catharinæ* fuit. Filio *Valentino* à teneris annis pietatem instillare & primis eum litterarum rudimentis imbuere summam parens ipse sibi curam & laborem impofuerat, hinc scholas eum jussit frequentare Loitzensem, Demminensem, Stralsundensem, Gustroviensem, Wismariensemque, donec A. 1603. ad Gryphisvvaldensem Academiam adire potuit annos natus undeviginti. Non diu supra anni spatium ibi studiis operam impendit cum

cum Anno proximo 1604. circa festum Archangelo Michaeli sacrum jam jussus est obire Rectoris & Cantoris munus in jam memorato opido *Neokaldensi*, cui geminato officio per annum non modo summa fide præ fuit, sed & Concionibus sacris habendis dotes â DEO concessas jam tum largiter exerentes sese expertus est, quibus omnium amorem in se provocavit. Inde merito ratus magis è re sua esse ut in Academiis per longius tempus in graviora studia incumberet, præfectus regendæ juventæ Nobilissimi adolescentis *Jo. Friderici Moltzan* sub extremum Anni 1605. petiit Academiam Lipsiensem atque hinc anno proxime insecuto vicinam Witebergensem, ubi usus est convictu magni Theologi *D. Georgii Mylii*, cui præter utilissima consilia & præclaram institutionem multa & egregia beneficia alia in acceptis se referre libenter est testatus. Cum Anno 1606. die 23. Sept. inter Magistrorum sive Doctorum Philosophiæ numerum Witebergæ adscitus esset, & Gryphisvvaldiam inde repetiisset, Dux Serenissima Pomeraniæ *Sophia Hedwiga*, quam *Ernestus Ludovicus* Princeps defunctus viduam reliquerat, eum in Arcem *Loitz* ad se vocavit commisitque illi munus Concionatoris Aulici, quod per quinquennium fere ita obiit, ut & non minus conscientiæ satis faceret, & apud Dominam gratiosus esset. Anno 1611 à Principe Pomeranorum *Philippo Julio* demandata ipsi Professura Hebraicarum litterarum in Academia *Gryphiswaldensi*,

 quod

quod officium die quinto Iulii auſpicatus ne per anni quidem integri tempus ornavit, ſiquidem menſe extremo Aprili Anni 1612. concedendum ipſi fuit *Demminum*, in qua civitate Paſtor & Synodi Præpoſitus fuit usq; ad A. 1621. Nam illo cum ſibi expetivere *Hamburgenſes*, â quibus Paſtor Primarius ad Eccleſiam S. Petri & Pauli delectus eſt die 12. Auguſti. Igitur quanquam Bardum jam antea, & Caminum, Paſevvalcumque ut diſcederet exorari ſe non erat paſſus, tamen jam Vale dixit Demminenſibus ſuis Dominica ſecunda Adventus, & Salve Hamburgenſibus die Octobris vigeſimo, inauguratus à Rev. Miniſterii tum Seniore M. Martino Willichio, Paſtore ad S. Catharinæ ædem meritiſſimo. Partibus ſuis non modo perfunctus eſt ſumma fide, zelo & induſtria peragendo ea quæ bonum Eccleſiæ Doctorem & commiſſarum ovium ſaluti proſpicientem decent, ſed etiam ſcribendo profutura longe abſentibus poſteriſque, inprimis vero multarum afflictarum animarum mœrori ſolatium egregium ac divinum attulit edita & ſæpius ab eo tempore recuſa, atque inpoſterum quoque recudenda ſchola Crucis. Sed quidni hoc loco & aliorum ſcriptorum ejus quantum poſſumus locupletem Catalogum ſubjicimus?

Das güldene A. B. C. Davids aus dem 25ſten Pſalm in 3. Predigten erkläret bey Abführung und Begräbniß der Adelichen Leiche Georgen Moltzan/der Lande Stettin/Pommern/Fürſtl. Wolgaſtiſcher Regierung Erbmarſchallen zu Cam-

Cammerow/ Osten und Vansalow Erbsassen/ 2. Jan. 1620. auf dem Hause Demmin seelig verstorben/ und 24. Febr. zu Cummerow in sein väterlich Erb-Begräbniß niedergesetzt. Rostock 1620. 4. bey Augustin Ferbern.

Vale Pomeranicum, eine Christliche Valet- und Gesegnungs-Predigt aus dem 20. Cap. der Apostel-Geschicht / darin der Abschied des theuren Apostels S. Pauli von der Gemeine zu Mileto und Epheso richtig erkläret/ und so wohl der Prediger als Zuhörer Ampt beschrieben wird/ gehalten zu Demnin in Pommern / gedruckt zu Hamburg durch Paul Langen / in Verlegung Jürgen Wolders 1622. 4.

Salve Hamburgicum, eine Christliche Antritt- und Einführungs-Predigt aus dem 1. Cap. des Propheten Jonä/ darinn nebst Summarischer Erklärung des wunderbahrlichen Beruffs Jonä gen Ninive / nachfolgende Frage richtig und gründlich erörtert wird / ob ein Prediger mit gutem unverletzten Gewissen seine anbefohlene Kirche und Gemeine verlassen / und auf ordentlichen Beruff bey einer andern sich bestellen lassen könne. ibid. 4.

Schola Crucis & tessera Christianismi, das ist/ein ausführlicher Christlicher Unterricht von dem lieben Creutze/ welches ist aller wahren Christen Hof-Farbe / wie nütze / heilsam und nöthig es sey/ nnd wie sich ein ieglicher darin schicken und verhalten soll. Hujus scripti primas lineas duxit Nobilis quidam Vir in aula Loitzensi

cala,

calamitatibus variis & rebus adversis exercitatus, Wudriani vero patronus, qui cogitata ejus digessit, locupletavit & in libri formam redegit, ediditque recusum Rostochii ap. Mich. Mederum 1640. 8. atque inde variis locis ut Stralsund. 1641. Goslariæ 1651. 12. Hafniæ 1652. 8. Dresdæ 1655. 8. & ex *M. Johannis Neukrantzii*, qui Pastor Kirchvverderensis prope Hamburgum & Wudriani gener fuit, Luneburg. apud Sternios 1666. forma minore, sæpiusque deinde, etiam alibi, & Belgice Amst. 1676. 8.

Eine Christliche Neu-Jahrs-Predigt von dem heiligen/ herrlichen und theuren Nahmen JESU/ was er eigentlich heisse und bedeute / und wie er von frommen Christlichen Hertzen seeliglich in ihrem Christenthum täglich zu gebrauchen. Hamburg bey Paul Langen/ 1623. 4.

Constantia Connubialis, das ist eine Hochzeitliche Ehren-Predigt von der Beständigkeit und Treue/die ein Christlicher Ehegatte dem andern in seinem Ehestand zu beweisen schuldig ist. Hamburg in Verlegung Jürgen Wolders 1624. 4.

Nachdenckliche Ursachen/ warum das Gymnasium in der Stadt Hamburg nicht abzuschaffen/ sondern vielmehr zu erhalten und zu verbessern sey. Hamburg bey Jürgen Wolders 1624. 4.

Matrimonio sibi junxit Wudrianus A. 1609. die Mercurii post primam Adventus, virginem insi-

insignem virtutibus maritoq; superstitem *Elisaberbam Papeken*, natam Neokaldi Megapolitanorum A. 1587. Feria secunda Pentecostes piis & honestissimis parentibus Henrico Papeken & Elisabetha Rabandelesia. Ex hac uxore sua suscepit quinque liberos, filium unicum, filiasque quatuor. Filius *Valentinus*, Demmini A. 1616. 10. Febr. natus, viginti annis patrem supervixit quidem ejusque conciones in Amosum & alia in schedis relicta edere constituerat, at in flore ætatis obiit, SS. Theol. Candidatus & Facultatis Philosophicæ Adjunctus, Soræ Danorum in Regia equestri Academia A. 1645. E filiabus maxima natu *Sophia Hedewiga* lucem vidit Loitzæ A. 1610. 22. Sept. & A. 1627. post patrem jam defunctum nubsit Rev. *Joanni Stemanno*, qui tum temporis Germanicas ad populum conciones habebat Hafniæ, & postea Hamburgum vocatus est ad Diaconi munus in Ecclesia SS. Petri & Pauli. Sed citius diem obiit supremum Sophia Hedvviga Hafniæ A 1629. relictis duobus filiis Johanne & Justo Valentino. Alteram filiarum *Reginam* exosculatus est noster natam Gryphisvvaldiæ Anno 1612. 10. Febr. at in primo juventutis flore non diu post patris fata defunctam Hamburgi A. 1627. die 26. Sept. & die ejusdem mensis 29. qui Michaeli Archangelo sacer esse solet, in æde Petrina tumulatam. Filiam

liam tertiam *Agnesiam* protulit Demmini dies decimus Augusti A.1613. Hæc A.1631. die 19. Septembris desponsata est *M. Joanni Neucrantz*, Pastori Kirchvverderensi, quem in recensenda soceri Schola Crucis operam ac studium posuisse jam dixi. Superest memoranda quarta & minor natu filia *Benigna* edita in lucem eadem in Demminensi civitate A. 1617. die 20. Decembris & connubio juncta A. 1646. die 17. Augusti. Paulo cuidam Trogo. Emortualis articulus beato ac meritissimo Viro Wudriano contigit feria Mercurii die septimo Septembris Anni 1625. intra quintam horam & sextam vespertinam, quantoque junior (vix enim annos 41. & hebdomades 27. vixerat) & ætate florentior est extinctus, tanto majus sui desiderium universæ civitati Hamburgensi gravioremque luctus materiam suis reliquit.

Hoch-

Hochwichtige und nachdenckliche Ursachen/

Warum das

GYMNASIUM

Oder


Studenten-Schulen in der weitberühmten Stadt HAMBURG

nicht abzuschaffen/
sondern vielmehr zu erhalten und
zu verbessern sey.

In öffentlicher Predigt
angeführet/
und hernach zu mehrer Consideration
publiciret

Durch
M. VALENTINUM WUDRIAN,
Pastorn der Haupt-Kirchen
S. Petri in Hamburg.

Gedruckt zu Hamburg/ bey Paul Langen/
Im Jahr 1624.
In Verlegung Jürgen Wolders.




D. CHEMNIT.

Omni conatu Regibus, principibus, adeoque omnibus, qui ad gubernacula Reipubl. collocati sunt, & ab Esaia Ecclesiæ nutritii vocantur, in id incumbendum est, ut Scholæ publicæ aperiantur, apertæ conserventur, & sicubi casu quodam adverso vel collapsæ vel afflictæ fuerint, in integrum restituantur, & salutaribus constitutionibus muniantur. Nec est ullum sanctius & præclarius opus in humanis actionibus, quam talis constitutio & conservatio Scholarum, unde omnes vitæ partes & dignitatis & utilitatis amplissimæ fructum percipiunt.

Das ist:

uti ab Henrico Vagetio ex vero (*b*) nominatur, Sebaſtianus à Bergen Conſul aditum denegavit, patentem omnibus, qui Græcas literas & Poeſin aliquanto majori ſtudio, quam vulgo fieri ſolet, colerent. Ita cum magnis Viris in pretio eſſet, ex improviſo calamitas quædam intervenit. Ædes enim, in quibus commorabatur, repentino caſu ignis corripiebat, & ſimul muſeum, ac in eo librariam ſupellectilem, & Commentarios aliquos MSCtos. Neque tamen jactura iſta fregit animum, ſed magis inflammavit, ut eodem adhuc anno 1616. d. 6. Octobr. publicum diligentiæ ſpecimen daret, habita ſub præſidio Laurembergii Diſputatione *de Tactu*, quam Gulielmo Ramshauſio, Comitis Oldenburgici per territorium Jeverenſe Quæſtori, & Joanni Balichio eidem Comiti à Secretis, honoris & obſervantiæ cauſa inſcripſit. Anno inſequente 1617. Witebergam tendebat, nihil moratus, quod proximo anno ardentiſſima febris plures ſtudioſos ducentis, nec non Hutterum, Theologum celeberrimum abſtuliſſet. Cum enim annus ille toti Eccleſiæ Evangelicæ Jobelæus ob repurgata per Lutherum ſacra eſſet, ingenti iſtius Academiæ deſiderio ferebatur, in qua magnus ille & divinitus excitatus Heros ſalutarem doctrinam in clariſſimam lucem reduxerat. Quin & ex literis Meiſneri ad Hardkopfium conſtabat, luem illam de ſævitia ſua plurimum remiſiſſe, ita ut propediem ceſſatura videretur.

(*b*) Carmine in nuptias Heinonis Vogleri.

retur. Itaque post sacrum Paschatis anniversarium se dabat itineri, cum multis aliis Gymnasii civibus, qui eandem Academiam sedem & magistram studiorum certatim eligebant. In Philosophia Jacobum Martini & Balthasar. Meisnerum indefessa audivit industria: nam ad eam non minus quam ad Philologiam insita quadam animi propensione ferebatur: & præterea vitrici Glaseri accedebat auctoritas, qui in eam curam incumbere jusserat, ut disciplinas Philosophicas sibi familiarissimas redderet. Ad Theologiam Balduinum, Franzium, & Nicol. Hunnium, qui Huttero paulo ante successerat, Duces habuit: necnon memoratum modo Jac. Martini, tunc quidem Logicæ Professorem Publicum, attamen jussu Electoris Theologiam privatim docentem. Sed vix dimidium annum ibi exegerat, cum in gravissimum morbum incideret. Quamvis enim febris longe minus quam olim grassaretur, & à festo Paschatis usque ad finem anni nonnisi triginta studiosos abriperet: adeo tamen sibi ab ea cavere non potuit, ut vita in præsentissimum adduceretur discrimen, quod singulari DEI beneficio & diligenti cura medici evasit. Ineunte Octobri mense irruebat in eum morbus, & per sex fere hebdomades vehementissime affligebat, deinde sanitati restitutum & ad libros reversum velut ex insidiis iterum adoriebatur ardentissima febris & quotidiana facta vires ita exhauriebat, ut nihil spei superesse videretur. Paulatim vero habere

melius cœpit, & mense Decembri è malo isto penitus eluctatus est. Exacto propemodum biennio animum ad eloquentiam sacram adjiciens, Franzium rogavit, ut concionandi copiam faceret. Sed is vultu ad severitatem composito interrogabat: Wolt ihr predigen? was wolt ihr predigen? Cum modeste & reverenter respondisset, se verbum DEI pro concesso divinitus modulo interpretaturum pro concione esse, Codicem sacrum in manus tradidit Franzius, & dicti cujusdam difficilioris sensum ex visceribus Originalis Textus statim eruere, ac consectaria, quæ ad ædificationem auditorum pertinerent, derivare jussit. Quod cum promte expediteque fecisset, placuit Franzio subjicienti: Nu ihr solt predigen. Quo ipso non parum excitatus fuit ad fontium sacrorum studium, quo jam antea mirifice delectabatur. Unde & Jacobus Martini in *Disputatione de mediis interpretandi Scripturam* eum Respondentis officio fungi voluit. Exstat ea Tomo I. Disputationum Theologicarum pag. 687. usque 741. Anno 1620. supremos in Philosophia honores petiit, ita graves ob causas volente Glasero, cujus auctoritati refragari minime par erat: tributusque ipsi primus locus fuit inter XXXII. Candidatos. Decanatum tunc gerebat Joannes Avenarius, Eloquentiæ Professor. Mense Augusto Magdeburgum se contulit, deinde Oldenburgum profectus est, tandem Hamburgum rediit, quæ civitas altera velut patria videbatur. A. 1624. Pastor constitutus est in insu-

insula ad Billam: cui quidem officio non diu præfuit. Nam A. 1625. 31. Aug. moriebatur Joachimus à Vinrelen, Pastor Neapolitanus, cui A. 1626. successor dabatur Pastor Orphanotrophii Christianus Camerarius. Sed paucis post introductionem hebdomadibus, d. 22 Junii vitam cum morte commutabat, ita ut Pastoratus Ecclesiæ Michaelitanæ iterum vacaret. Igitur Patroni Ecclesiæ Nicolaitanæ, ad quos Parœciæ (c) Neapolitanæ sive Michaelitanæ cura eo tempore spectabat, oculos conjiciebant in Edzardum, eundemque 8. Sept. communibus calculis Pastorem Michaelitanum designabant atque eligebant. Literæ Vocationis eadem adhuc die consignatæ, quibus majorem in modum rogabatur, ut auditoribus suis biduo post valediceret, & proxime sequente die Jovis per usitatam introductionem officii novorum laborum initium faceret: Neapolitanam enim Ecclesiam affligi morbis, nec M. Camerarium modo ad cœlestem vitam translatum, sed & Diaconum M. Dreierum infirmo corpore laborare. Etsi vero morbis grassantibus facile à suscipienda provincia deterreri poterat, agnovit tamen digitum DEI, & primo quoque tempore plenum periculi officium adiit, 21. Sept. à Nicolao Hardkopfio introductus. Nam quo minus id citius fieret, insulanorum ægerrime dimittentium amor obsta-

Ee 2 bat;

(c) Nomine hoc Parœciæ (Kirspel Michaelis) appellatur à Patronis Ecclesiæ Nicolaitanæ, quamvis privilegia *peculiaris Parœciæ* tunc nondum adepta esset.

bat. Quotidie invisendi ægrotantes, Divinoque Verbo & Sacramento Cœnæ erigendi erant: sospes tamen & incolumis permansit, & firma valetudine usus est, licet nec ipsa ejus familia immunis à contagio esset, & privigna Elisabetha Vogleria A. 1628. 11. Aug. peste moreretur. Et eo quidem Anno 1628. in sola Neapoli 4200. obierunt. Istam vero jacturam confluxus hominum undique Hamburgum venientium tam abunde explevit, ut paucis annis elapsis majori quam olim, numero incolarum gauderet. Conciones in veteri æde Michaelitana apertis fenestris habebantur, cum non templum modo plenum esset auditorum, sed & magna multitudo in cœmeterio auscultaret. Imo ne sic quidem omnibus de commodo loco prospici poterat, multique ad alias Ecclesias diebus Dominicis divini verbi audiendi gratia se conferre cogebantur, quod hieme præsertim molestia non carebat. Sæpe in ipso divino cultu ob nimiam hominum se invicem prementium copiam oriebantur turbæ, non pauci à conventibus sacris prorsus abstinebant, aliis satis erat, dummodo ipsi concionibus interessent, pueris & ancillis domi relictis, nonnulli à Calvinianis, Pontificiis, Mennonistis in partes suas pertrahebantur. Dum Parentes & Heri in templo erant, juventus passim per plateas vagabatur, non minori quam olim ferocia, cum in Neapoli nulla adhuc sacra ædes existeret. Percussit ea res Edzardi animum, monuitque illos, ad quos hæc cura

per-

pertinebat, ut in commune consulerent, & ad novam spatiosioremque ædem SALVATORI Filio DEI Michaeli increato ædificandam accingerentur. Sanctum & necessarium institutum Magnificus Senatus Decreto approbavit, & ex amplissimo Ordine suo nonnullos constituit, qui procurandæ structuræ auctoritate & consilio præessent. Dominica Quasimodogeniti A. 1646. 5. April. publica & solennis concio eam in rem ab Edzardo ex Hagg. I. v. 8. habita, & paulo post typis exscripta est. Anno 1649. d. 26. April. primus lapis à Bartholdo Mollero, J. U. Lic. Patriæ Consule Ecclesiæ Michaelitanæ Patrono positus est, postquam à Pastore comma 12. Cap. LVIII. Esaiæ concione illustratum, devotæque ad DEUM preces fusæ fuerant. Exstat & hæc concio eodem anno in lucem edita. Tandem nova Basilica consecrata dedicataque est Anno 1661. d. 14. Martii. Ad aram sermonem Joannes Mullerus, S. Th. D. Pastor Petrinus & Rev. Ministerii Senior, in suggestu vero concionem in Psal LXXXIV. habuit Edzardus, quam quidem publici juris non fecit, eo quod nulla necessitas editionem urgeret. Servet DEUS hanc Ædem usque ad novissimum diem, & Michaelitanam, quin & totam Hamburgensem Ecclesiam benedictione quavis spirituali & temporali cumulet propter CHRISTUM.

A. 1664. peste denuo corripiebatur Hamburgum, inprimis in Neapolin irruente. Cumque eadem, qua olim, industria concreditarum

ſibi animarum curam quotidie ageret, non raro per medios mortuos ad ægrotantes accedens, nullum tamen inde damnum ad valetudinem ejus redundavit. Evenit autem, ut ex ſuggeſtu aliquando domum reverſum, juvenis quidam, quem iſtud malum afflaverat, adiret, & nihil tale cogitantem ex improviſo hiſce alloqueretur verbis: *Domine laboro peſte.* Eum divino verbo ſolatus eſt, uti par erat, & ſiquidem decumbere cogeretur, venturum, & venerandum S. Coenæ pignus porrecturum promiſit. Sed cum abiiſſet, ipſemet in peſtem incidit, efficaciſſimis autem remediis adhibitis intra triduum Divino beneficio ita convaluit, ut ægrotantes inviſere & univerſis officii ſui laboribus fungi poſſet. Ad matrimonium Anno 1624. adjecit animum, uxoremque duxit Barbaram Gravelei, Heinonis Vogleri viduam, Conſulis Sebaſtiani à Bergen ex ſorore neptem, cum qua per 43. annos conjunctiſſime vixit. Ex ea tres liberos procreavit, Joannem Danielem in infantia demortuum, Esdram, & filiolam poſtquam lucem viderat, confeſtim exſtinctam. Solus igitur Esdras ſuperſtes fuit, e quo quatuor vidit nepotes.

Quemadmodum vero lumen aliis prælucendo conſumitur, ita tandem laborum mole & ſenectute exhauſtæ ſunt vires corporis, quibus peregregiis utebatur. Eas aliquot ante mortem hebdomadibus proſtratas ſenſit. Animo tamen præſentiſſimo ſemper fuit, ita ut lecto jam affixus ſella portari ſe in conclave, in quo cariſſi-

rissima conjux decumbebat, juberet, & in ultimo vitæ discrimine constitutam, sanctissimæque ad sempiterna gaudia migrationi se pie præparantem sacris alloquiis precibusque adjuvaret. Semetipsum svavissimis meditationibus è Rom. Capite VIII. recreavit, de quo etiam cum M. Johanne Surlando sacrum viaticũ præbente copiose collocutus est. Dies emortualis eadem quæ natalis fuit, Dominica Judica, qua Anno 1595. uti supra commemoratum, in hanc vitam ingressus erat, Anno 1667. autem ad beata æternaque habitacula transiit, anno ætatis LXXII, cum Michaelitanæ Ecclesiæ per XL annos præfuisset.

EPITAPHIUM
IN NOVA BASILICA MICHAELITANA
positum ita se habet.

D. O. M. S.

Adm. Rev. & Clarissimus Vir,

DOMINUS

M. JODOCUS EDZARDI GLANEUS,

Auctor hujus templi & primus Pastor, Cum Ecclesiæ huic summa fide, dextraque dexteritate per XL. annos præfuisset, & raro exemplo per Spiritus Sancti gratiam, Turcam, Æthiopem, Judæos non paucos, multosque alios ἀντιδιατιθεμένους, Christo Salvatori suo lucri fecisset, hic ante Altare cum fidiss. Conjuge Barbara Graveleja resurrrectionem exspectat. Ob. A. Dn. 1667. 24. Mart. ætatis LXXII.

Parenti opt. mer. pos. filius Esdras Edzardus, S. Th. L.

Haggæum ſpectas & noſtri temporis Esdram,
Hic templi primus Paſtor & Auctor erat.

Scripta edidit ſequentia:

(1.) Nothwehr für die Kinder-Tauffe / welche die Wiedertäuffer den Kindern wehren/den Mündigen zweiffelhafftig machen/ und eine gefährliche Wiedertaufferey anrichten/ in 2. Theilen/ darinnen unſere Beweißthüme für die Kinder-Tauffe wieder ſie vertheidiget / ihre aber hergegen wiederlegt werden / mit einer ausführlichen Vorrede von der gantzen Wiedertäufferiſchen Schwermerey aus ihren eigenen Büchern verfaſſet. In Verlegung Tobias Güntermann Anno 1636. 8.

(2.) Feuer-Predigt/darinn gehandelt wird/ was von denen/ in dieſer guten Stadt / unlängſt bey den offtmahls entſtandenen Feuers-Brunſten zu halten/ und was hinferner zu Abwendung deroſelben in acht zu nehmen vonnöthen ſey/gehalten am XX. Sontage nach Trinitat. über dem Evangeliſchen Spruch/ der Herr zündet ihre Stadt an/ in der Kirchen S. Michaelis/ und auf etlicher bußeyfrigen Begehren in Druck gegeben. Anno 1637. bey Jacob Rebenlein. 4.

(3.) Lutheriſcher Wiederhall/das iſt/ warhaffter und gründlicher Bericht vom Urſprung der Streitigkeiten in Religion-Sachen/ zwiſchen den Lutheriſchen und den Calviniſten/ und worauf dieſelben noch beruhen: alle der Evangeliſchen War-

Warheit-liebenden Einfältigen zur gründlichen Nachrichtung/dem Baselerschen Hall/das ist/ ungründlichem Bericht eines Nahmlosen Calvinisten gerad entgegen gangen. Gedruckt bey Rebenlein/Anno 1643. 12.

(4.) Tempel-Predigt HAGGAI, erkläret und wiederholet/die Christliche Gemeine in der Neuen- oder Vorstadt/und andere Christliebender Hertzen anzumahnen/ dem HErrn SALVATORI daselbst sein Hauß zu bauen / gehalten am Sontag Quasimodogeniti Anno 1646. 5. Aprilis. Gedruckt bey Henrich Wernern. 4.

(5.) Demüthige kurtze Erinnerung der Einwohner der Neuen Stadt an die gantze Christliche Gemeine der löblichen Stadt Hamburg/ um Hülffe und milde Handbietung dem Salvatori der Welt zu Ehren ein Hauß und Kirche daselbst zu bauen. Gedruckt bey Henrich Wernern 1647. 4.

(6.) Grundlegungs-Predigt/ da der erste Stein zur Neuen Kirchen in der Neuen Stadt Hamburg gelegt worden / welche dem grossen Nahmen des Heiligen Michaelis/des Groß-Fürsten/ und lebendigen Sohns GOttes zu Ehren soll gebauet und consecriret werden. Gehalten in der Versammlung vieler tausend Menschen in der Alten S. Michaelis Kirchen / am 26. Tage Monats Aprilis Anno 1649. Gedruckt bey Heinrich Werners sel. Witwe. 4.

(7.) Geistliches Bad-Tuch/den neuen Wiedertäufferischen Täuchern/ welche nach des falsch-genann-

nannten Pontani, und dessen Vermehrers des Mehrnings Lehre / an der Besprengung oder Begiessung in empfangener Tauffe nicht vergnüget / eine Widertauffe in tieffen Strömen oder Fisch-Teichen durch Ein- oder Untertauchung vorhaben / zur Abtrocknung / und andern Einfältigen zur Warnung / zugerichtet an den Fest-Tagen der H. Dreyfaltigkeit und S. Johannis in zwo Predigten / gehalten in S. Michael. Kirchen in Hamburg. Gedruckt A. 1651. bey Georg Papen. 12.

MSCTA etiam exstant multa Volumina Concionum, quibus totum Psalterium, Prophetam Zephaniam, Epistolam ad Romanos, aliosque sacri Codicis libros illustravit.

*Non ingratum existimavi futurum Lectori, si hoc loco etiam breve elogium celeberrimi filii ESDRÆ EDZARDI ante biennium non sine rei Christianæ detrimento extincti, ex Novorum litterariorum Hamburgi cum laude hactenus publicatorum penu subjungerem, præcipue cum exteros, doctissimos illos quoque ac doctrinæ ejus & meritorum satis intelligentes, de genere tamen ac vitæ instituto illius parũ edoctos esse videam, adeò ut præclarus Historiæ Judæorum scriptor quæ Gallice primum quinque Voluminibus atque inde Anglice non ita pridem in lucem edita est, eum tradiderit gente Judæum * & postliminio adChristianam fidem conversum fratri-*

*Jacobus Basnage *Hist. des Juifs* lib. VII. c. 31. Tom. V. pag. 2080. *Hamburg est la petite Jerusalem.* - -

On

tribus suis ad Messiam reducendis salutarem operam præstitisse.

Natus est Esdras Edzardus Hamburgi patre *Jodoco Edzardi Glaneo* (qui ultimum *Glanei* cognomen in Gratiam avi materni, ut supra dictum est, à quo educatus, hoc ita volente, quoad vixit, simul gessit; à filio deinceps, quod proavus de eo ad posteros transmittendo nihil statuerat, omissum) Frisio Jeverno, novæ ædis Michaëlitanæ primo Pastore; Matre vero *Barbara Graveleja*, anno 1629. 28. Iunii die tunc in Dominicam IV. Trinitatis incidente circa horam septimam matutinam. Avum paternum habuit *Edzardum Ludolphi Middochium*, Pastorem Tettensem, cujus socer Esdræque nostri proavus fuit *Jodocus Glaneus*, Bremæ ad D. Anscharii Pastor. Quo in officio Calvinianis invicto restitit animo, & ejecto jam per vim tum Senatu tum Ministerio Lutherano, per multos adhuc annos Evangelicam doctrinam non modo pro suggestu, sed & publicis cum Widebramo aliisque Calvinismi propugnatoribus colloquiis mascule asseruit. *Solus* etiam (uti B. Chemnitius in Epistola anno 1577. die Joh. Evangelistæ ad eum data commemorat) *Formulæ piæ ac salutaris Concordiæ sub-*

On y a vu depuis un Rabbin savant nommé Ezdard, ou Esdras, qui aiant embrassé le Christianisme, à converti plusieurs de ses freres, evenement fort rare. Kidder Eveque de Bath & Wels demonstrat. part. 3. chap. ult. p. 473. assure qu' il ne s' est point fait un si grand nombre de conversion depuis le tems de miracle, qu' Esdras en a fait à Hambourg.

ſcripſit, reliquis Bremenſis Eccleſiæ Concionatoribus vel tergiverſantibus vel renuentibus; quæ Confeſſionis ſinceritas Celſiſſimo Duci Julio vehementer probata fuit, ſe facile inde intelligere poſſe, quis eſſet Eccleſiæ in illa urbe ſtatus, eaque omnia ad reliquos Electores & Principes relaturum eſſe dicenti. Nec e ſacra, quam apud Bremenſes gerebat, provincia diſceſſit, ſed univerſas, quæ eveniebant, calamitates ſtrenue pertulit, donec tandem a Calviniano Senatu officio pelleretur. Quod cum a Syndico denunciatum eſſet, vocationem Hohenkirchenſem ab Illuſtriſſimo Comite Oldenburgenſi oblatam ſuſcepit, cujus juſſu ſolenniter Brema arceſſitus eſt, magna Lutheranorum civium certatim in lacrymas effuſorum corona diſcedentem comitante. Quin & clementiam clementia cumulavit Illuſtriſſimus Comes Superintendentis Jeverani officium demandans.

His majoribus prognatus Edzardus fuit. Cum vero tenerrima ætate inſignes alacris ingenii ſignificationes, daret, ſtudiis dicatus, optimisque Præceptoribus traditus eſt, ut bonis literis artibusque imbueretur. Anno ætatis decimo tertio miſſus eſt in primam Claſſem Scholæ Johanneæ, cui tum præerat M. Daniel Arnoldus, Vir egregiis docendi donis & ſingulari Græcæ latinæque literaturæ peritia inſtructus. Biennio poſt translatus ad Gymnaſium, Ioachimum Jungium, Johannem Adolphum Taſſium, & Henricum Vagetium, Viros Dorſchei judicio eminenter celebres, in omnibus Phi-

Philoſophiæ partibus magna induſtria audivit. Anno 1647. Lipſiam ad Hulſemannum ſe contulit, qui ipſum non modo in ædes recepit, ſed & amicitiæ, quæ ei cum Jodoco Edzardi Glaneo intercedebat, hoc dedit, ut filii ſtudia gubernare atque moderari dignaretur. Anno 1648. Wittebergam profectus eſt ad Jacobum Martini, Theologum grandævum, tam indefeſſæ induſtriæ virum, ut in extremo ſenectutis gradu lecto affixus, crebris tamen prælectionibus diſputationibusque ſtudioſæ juventuti plurimum prodeſſet. Nec exiguum inde fructum reportavit Noſter, quod in Muſeo B. Lutheri, *Johanne Eringio*, Phil. & Med. Doctore Profeſſoreque Publico, contubernali uteretur. Anno 1649. Cygneam digredi placuit, ubi Zechendorfii & Daumii converſatione per dimidium annum gaviſus eſt. Inde Lipſiam rediens Caſparis Barthii ſingulariſſimam benevolentiam ſibi conciliavit, Gothamque profectus Salomonem Glaſſium ſalutavit. Inſigni vero Germaniæ ſuperioris parte perluſtrata Tubingam conceſſit, ubi eum magno favore complexus eſt Thomas Lanſius, Conſiliarius Würtenbergicus intimus. Anno 1650. Baſileam adiit, Buxtorfii cauſa, ex cujus inſtitutione eximium fructum in Rabbinicis & Talmudicis ſtudiis reportavit. In ulteriorem Helvetiam excurrens Buxtorfii commendationem plurimum ponderis habuiſſe expertus eſt, maxima paſſim comitate & alicubi publicis etiam honoribus exceptus. Svevia

&

& Rhætia ac Alſatia ſuperiori peragratis anno 1651. Argentoratum venit,ubi ultra biennium fuit in convictu Dorſchei. EoRoſtochium vocato anno 1653. in Academiam Giſſenſem ſe contulit, prius tamen præcipuis Germaniæ ſuperioris urbibus, Vlma, Auguſta Vindelicorum Monachio Bavarorum,Norimberga,Altdorfio, Herbipoli, luſtratis. Giſſæ perbiennium Feuerbornii & Haberkornii collegiis præcipue interfuit. Anno 1655. ſatisfacturus honoratiſſimorum parentum deſiderio Hamburgum reverſus eſt, Academia Marpurgenſi, Caſſellis, Wolferbyto & Brunſuiga in reditu viſis. Neque tamen diu in patria tunc commoratus eſt, ſed in ſequente anno 1656. Roſtochium tedendit, Dorſcheum, priſtinum hoſpitem & Præceptorem ſalutaturus. Pomeraniæ etiam videndæ deſiderio adductus Grypsvvaldiam adiit, & Abrahami Batti conſvetudine per aliquod temporis ſpatium gaviſus eſt. Inde reverſus Roſtochium,à Venerando Ordine Theologico ſolenni ritu renunciatus eſt Theolog. Licentiatus, poſtquam prid. Cal. Auguſti de *præcipuis doctrinæ Chriſtianæ capitibus adverſus Iudæos & Photinianos* publice diſputaverat. Redux in patriam nemini operam ſuam in Fontibus ſacris & Orientalibus linguis denegavit, ſed omnibus & ſingulis ad eum accedentibus,inquilinis &exteris,promtiſſime addixit, nunquam ſalarium, ſive didactron, vel expectans, vel oblatum accipiens. Quamvis etiam ad præcipuas in academiis aliisque

que illuſtribus locis dignitates & officia invitaretur, ab iis tamen abſtinuit, eo quod Hamburgenſem urbem propoſito ſuo ob multas gravesque cauſas commodiorem perſpiceret. Nec in ipſa patria linguarum Orientalium Profeſſionem ab inclytis Scholarchis ipſi deſtinatam, accipere voluit, ſed ne eligeretur impedivit, commendato Lic. *Eberhardo Anckelmanno*, quem in Ebraicis, Rabbinicis & Talmudicis per multos annos inſtituerat. Animadvertebat enim, ſe in propagandis fontibus ſacris & aliis eo pertinentibus literis longe majores ſucceſſus habiturum, ſi nullo officio publico diſtringeretur. Nec Gymnaſio patrio inde jactura metuenda erat, admoto iſti provinciæ Anckelmanno, Viro in his ſtudiis egregie verſato. Præterea animabus ad Chriſtum adducendis operam dedit, divinam in eo inſtituto benedictionem adeo ſentiens, ut non modo permulti Pontificii, Calviniani, & Anabaptiſtæ erroribus ſuis nuncium mitterent, ſed & Iudæi magno numero, una cum nonnullis Turcis & Æthiopibus, Chriſtianam religionem amplecterentur. Experientia quoque deprehendit, falſiſſimum eſſe, quod vulgo exiſtimari ſolet, pleroſque Judæos ſacris noſtris imbutos deficere. Etſi enim mirum non eſt, eos qui in Hiſpania & aliis regionibus non verbo divino ſed ferro & flammis ad Judaiſmum ejurandum adacti fuerunt, quamcunque apoſtaſias occaſionem certatim arripere: illi tamen qui ab Edzardo noſtro ad religionem Chriſtianam ſacrarum

lite-

literarum auctoritate & depromtis inde firmis imotisq;argumentis adducti sunt,propemodum omnes in agnitaveritate constantes perstiterunt exceptis quibusdam, quorum tam exiguus numerus est,ut vix quadragesimam partem eorum constituant, qui in huncusque diem fidei Christianæ addicti sunt, vel etiam pie & placide in Christo obdormiverunt. Imo tanta verbi divini efficacia est,ut nonnulli a Judæis seducti,vel etiam dolo & vi in alias regiones missi, nihilosecius reversi sint,& baptismum susceperint. Inter eos præcipui cujusdam Rabbini filius Londinium,& inde in insulam Barbados deportatus a Iudæis fuit, ne Christo nomendaret. At elapsis pluribus annis, confecto plusquam 2000. milliarium itinere, Hamburgum rediit,& in religione Christiana institui petiit, ac tandem in Belgio apud Lutheranos sacro baptismi lavacro ablutus est. Alius,cum ultra triginta annos in salutari fide constanter perseverasset,tandem senectute & morbo ad extremam inopiam redactus se a Judæis pecunia corrumpi passus est, ut Amstelodamum tendens à Christiana religione descisceret, & liberos inscios nihilque tale metuentes ipsis simul traderet. Quod cum plurimumReverendo *Vossio*,EclesiæLutheranæ Amstelodamensis Pastori merititissimo significatum esset, rem ad magnificos ejus Reipublicæ Consules detulit, obtinuitque, ut liberi ad Judaismum per vim adacti restituerentur libertati,

&

& Hamburgum remitterentur. Eorum parens vero postea ultro & sua sponte Hamburgum rediit, & amarissimis lacrymis ad exemplum Petri apostasiam suam deploravit, nec multo post in seria invocatione DEI Patris, Filii & Spiritus S. diem beate obiit. Reperti etiam inter conversos Judæos sunt, qui alios Christo lucri facerent, & publicis in Ecclesia, nec non in Republica, officiis admoverentur. *Utinam illi, quibus DEUS terrenas opes largiori cumulo concessit, ex eo, quod ipsis superest, Fisco conversorum, multitudine eorum nunc prorsus ferme exhausto, suppetias ferre dignentur, ne Proselyti à fratribus suis secundum carnem non modo deserti, sed & infensissimo odio habiti, fame & egestate tabescere cogantur! Certe multæ animæ adduci possent ad Christum, benignitatem illam in ultima die coram sanctis Angelis & toto electorum hominum choro secundum Matth. XXV. 35. publice collaudaturum.* Nam quod ad institutionem in Christiana Religione attinet, non subterfugiunt laborem superstites Filii, eo quidem in negotio, DEO juvante, ad exemplum Parentis sine ullo salario ac didactro perrecturi.

Matrimonium A. 1657. contraxit cum *Angelica Lessia, Georgii Lessii*, mercatoris Hamburgensis, de Nova Æde Michaëlitana multis modis egregie meriti, filia virgine. Erat ea neptis *Pancratii Pilgrimi*, mercatoris Norimbergensis, ex Carinthia oriundi, ob constantiam in religione Evangelica paterna hæreditate omnibusque bonis exuti, sed divinam providentiam &

opem maximopere experti. Cum enim in exilium tenderet, nescius quo se verteret, obviam ei in itinere factus est *Thomas Nesemannus* (qui itidem religionis causa patriam suam reliquerat) curru filiolam vehens, infantili ploratu ejulantem. Nesemanno, Pilgrimnm, ut eam aliquantulum portaret, roganti, adolescens libens obsequitur, statimque silet filiola. Reddita currui omnia denuo ploratu miscet: unde parens adolescentem sibi adhuc ignotum interrogat, num considere secum in curru, & fidelis in negotiatione famuli officium facere vellet. Pilgrimus divinam agnoscens providentiam, decretum, quo filii vel hæreditati parentum defunctorum, vel Evangelicæ religioni nuncium mittere jussi erant, commemorat, & liberaliter se serviturum pollicetur. Cumque summa fide & dexteritate obiret heri negotia, per decem annos in ejus ædibus Norimbergæ versatus est, donec tandem, ipso consentiente, discederet, propriæ negotiationis inchoandæ causa. Tum vero Nesemanno minus ex sententia res succedere cœperunt: quapropter Pilgrimum aliquoties sollicitavit, ut negotiis suis iterum præesset. Negavit Pilgrimus id sibi nunc integrum esse, tandem tamen se propriis rebus neglectis rediturum promisit, si Elisabetham filiam virginem, quam olim in itinere plorantem gestaverat, nuptum sibi dare vellet. Annuit parens, & quod habuit summum precium persolvit, collocata ei in matrimonium gnata, ex qua Pilgrimus divi-

divina benedictione suscepit filios novem, filiasque septem, & inter eas Amaliam, Angelicæ Lessiæ matrem, cui etiam auctor fuit, ut filiam Edzardo desponsaret. Cum ea nuptias celebravit anno jam commemorato 1657. d. 26. Jan. & suavissime per 31 annos convixit, decies factus parens. Peperit enim ei filios octo, *Iodocum Pancratium*, anno ætatis 43. ex hac mortalitate evocatum; (de quo in Hamb. Novis Literariis Anno 1703. mense Iunio pag. 240. mentio facta est) *Georgium Eliezerem*, Gr. L. & Hist. in Gymnasio Hamburgensi Prof. Publ. *Johannem Esdram*, Ecclesiæ Evangelicæ Londini in Anglia Pastorem; *Nicolaum*, *Petrum*, *Davidem Ludolphum*, in pueritia demortuos, *Sebastianum*, Log & Metaph. in Gymnasio Hamburgensi Prof. Publ. & h. t. Rectorem; & *Franciscum Eliezerem*, tenerrima ætate denatum; filias duas, *Barbaram Elisabetham*, & *Amaliam*, itidem in infantia defunctam. E filiis superstitibus nepotes sex vidit, nec non tres neptes, e quibus duæ ante avum obierunt. Viduus factus est anno 1688 d. 9. Sept. carissima conjuge ad cœlestem vitam translata.

Quod ad mortem beati Viri attinet, senex divino beneficio firmiori ferme valetudine, quàm juvenis, gavisus est: ultimo tamen biennio aliquoties virium quandam imbecillitatem sensit, quæ quidem paucis diebus evanescere solebat. At septem ante obitum hebdomadibus non modo idem virium defectus rediit, sed & subinde augeri cœpit, præsertim, cum abstinen-

tia a cibo & somno paulatim accederet. Neque tamen a consuetis laboribus destitit, donec tandem 21. Decembr. decumbere cogeretur. Quemadmodum vero per omnem vitam verbo divino se beatæ morti præparaverat, ita tunc etiam noctu & interdiu efficacissimis Scripturæ dictis magis magisque ad maximum illud in æternitatem iter se accinxit. D. 30. Dec. à plurimum Reverendo *Hieronymo Pasmanno*, templi Michaëlitani Archidiacono meritissimo, cœlesti viatico instruebatur, Eodemque præsente Filiis suis mandabat, ut suo & majorum exemplo, Augustanam Confessionem cæterosque Libros Symbolicos, & veram sinceramque pietatem, adversus Pontificios, Calvinianos, Syncretistas & alios Fanaticos hypocritasque pro virili asserent, nec ulla calamitate vel persecutione se deterreri paterentur. Die eadem Proselytos, qui adhuc in Christiana Religione instituebantur, ad lectum adduci jussit, graviterque admonuit, ut in vera fide per omnem vitam perseverarent, simul libero oculo (neque enim unquam conspicillis uti necesse habuit) dicta quædam Veteris Testamenti in Ebræo Codice evolvens, quibus ad constantiam excitarentur. Calendis Ianuarii circa meridiem in somnum incidit, qui initio ad vires reficiendas facturus videbatur: ingruente vespera vero animadverti poterat, beatam imminere analysin, quam etiam tertio quadrante post auditam horam duodecimam consecutus est, dum in Christo Redemptore suo placidissime & sine omni dolore interadstantium preces obdormivit. Vixit annos 73. menses 6. dies 4.

IN

IN FUNERE
VENERANDI SENIS
L. ESDRÆ EDZARDI,
Theologi & communis per Germaniam Hebræarum Litterarum DOCTORIS meritissimi,

παραζηλωτȣ̃, Catechetæ, nutritiique Iudæorum CHRISTO lucrandorum & feliciter adductorum,

Zelo, eruditione, industria, cura & fide incomparabilis,

QUI DEO ac SALVATORI SUO cui integra valetudine per vitam usus, alacriter ac religiose servierat.

Octogenario propior, lætus animam reddidit ipsis Calendis Januarii A. O. R. MDCCVIII.

SCAZON
editus à
JOANNE ALBERTO FABRICIO,
D. & Prof. Publ. in Gymnasio Hamb.

EDZARDE, nostræ lumen Urbis, & sæcli,
Quem multa erat fas sæcla vivere annorum,
Ergo anno oriente flebilis occidis nobis?
Sic est: peracto te DEUS vocat cursu.
Ita Sol quadrigis quando splendidis cœli
Late patentem regiam peragravit

Radiis, calore, dulce recreans terras,
Caliginoſos hinc ſubit maris fluctus,
Lumenque nobis ſubtrahit ſuum invitis
Deſideratum. At haud is interim exſtinctus,
Sed conditur, cras pulchrior rediturus.
Nec TE meritorum fama, conditum quamvis,
Nec Filiorum claritas, nec inſignis
Numerus clientum TE patietur exſtingvi
Quos erudiſti, quos DEO reduxiſti,
Quos liberali dextera nutriviſti.
Sed majus utique pulchriusque TE lumen
Manet in beatis manſionibus cœli,
Lumen fideles quod manere Doctores
Promiſit ipſe Luminum Parens. Lumen
Hoc geſtiens videre, jam vale dicis
Nobis. In hoc oriri lumine ut poſſis,
Libenter occidis terris, novumque annum
In civitate ſupera mavis ordiri,
Ubi mille temet, mille gaudia exſpectant.
Salve perennis lucis hoſpes, ut pridem
EDZARDE noſtræ es lumen Urbis, & ſæcli.

SERI-

SERIES
EXCELLENTISS. DOCTORUM
PHYSICORUM
ET
SUBPHYSICORUM
HAMBURGENSIUM.

1423. M. Ioh. de Maesbomel.
1431. M. Ioh. Stabayen.
1467. M. Ioh. Rode.
1476. M. Albertus Goye.
1481. M. Iacobus.
1483. M. Joh. Landesberge.
1484. M. & D. Simon Roveſeiger.
1490. M. & D. Lambertus Fryling.
1496. D. Lodovvicus de Pyno.
1498. D. Ioh. Florentz.
1518. M. Albertus Frederikes, dictus Henning de Groninghen.
1529. M. Stephanus.
1532. D. Thomas Segher.
1537. D. Michael Oelckavv.
1540. D. Ioh. Wolmer.
1546. D. Jacobus Bordingk, qui Antvverpiâ huc venit.
1551. M. & Franciſcus Rodevvolt.
1566. Joh. Boekelius, Phil. & Med. D.
1597. Nicol. Santmann, Phil. & Med. Doct. † 1621.

1621. Joh. Ebeling, Phil. & Med. D. † 1658. 8. Jul.

1642. Paulus Marqv. Schlegel, Phil. & Med. D. † 1653. 21. Febr. cum primam Anatomen publicam Hamburgi instituisset, & cadaveris manu inter volvendum forte in ipsum impingente, gravius fuisset conterritus.

1656. Christianus Bunck, Phil. & Med. Doct. † 1659.

1658. Jo. Albertus Husvvedel, Phil. & Med. D. discessit in Sveciam futurus Regis potentissimi Archiater.

1659. Jo Garmers, Phil. & Med. D. † 1700.

1674. D. Christianus Langermann, † 1677.

1677. D. Io. Eberhard Kirchhof, † 1686.

1686. D. Joachimus Biester, Subphysicus, & ab A. 1700. Physicus.

1700. D. Georgius Dietericus Schultze, Subphysicus.

JACO-


JACOBI REINECCII,

Paſtoris Eccleſiæ ad S. Catharinæ,

ORATIO

Pro Novo Gymnaſio Hamburgenſi,
dicta 4. Non. Sept. A. 1612. cum
Inſpectionem ejus ſuſciperet.

SERIES RECTORUM
ac PROFESSORUM
Gymnaſii Hamburg.



JACOBI REINECCII
ORATIO
In Hamburgensis Gymnasii Inspectionis susceptione 4. Non. Sept. Anno 1612. habita.

ETsi, Reverendi, Magnifici, Ornatissimi, doctissimi Viri, domini, fratres, amici fautores plurimum colendi, & tu lectissima adolescentum corona, etsi, inquam, multis in locis phrontisteria laudate fundata, confirmata, conservata tandem, proh dolor, partim praeceptorum, ipsis qui praesident nec ea, quâ jus est, fidelitate, ac dexteritate clavum tenent, incuriâ: quâ equidem voce hic neminem vulnero: cum istius vitii vestigia alibi passim impressa esse, animadvertamus: partim haereticorum, quorum hodie genus non rarescit, quique acres, parati, audaces, callidi, vigilantes, ventosa sterilium disputationum jactantia sublati, & per inane circumvoluti, religionem eam, in qua divinae veritatis est calor, ac color arcent, frangunt, dissipant, fallaciâ, ad scopulos afflicta, atque allisa turpe & triste faciunt naufragium, atque jacturam: Tamen in quibusdam terrarum oris DEUS, quâ est clementiâ ac providentia, Musa.

Musarum officinas atque palæstras ab omni periculo sartas, tectas tuetur: sæpe etiam efficit, ut iis multum accessionis fiat: interdum novas quoque scholas aperit: & quidem per eos, penes quos rerum summa est: quosque melior lex imbuit, ac purior lux distinxit.

Quemadmodum itaque illi, qui committunt, ut scholæ collabantur, merito reprehendendi sunt, culpæque notâ inurendi: Sic è contrario ii, qui cum connituntur, tum conseqvuntur, ut ista recto stent talo, in luce, oculis, ore sunt vel maximi. Etenim dignitatem diligenter scrutamur? Ecquid doctrinarum templis dignius? Solertissimi quidem poetæ ingeniosè, atque artificiosè fingunt, ac pingunt, Prometheum illum celeberrimum in cœlum ascendisse, & ibi divinum ignem suffuratum, inque terras detulisse, & eo mortales, qui densa caligine circumfusi, colustratos atque illuminatos esse: & inde scholas enatas utilissimas.* Quamquam vero in hujus fabulæ involucris mysterii latet plurimum: id tamen, quod nostræ jam rei attemperandum est, in eo non deprehenditur. Nos enim, qui in mollissimo veræ Ecclesiæ gremio ac complexu cubamus, atque quiescimus, probè callemus, scholas non à Iove, quem populi rectorem, parentemque gentes appellitant: non ab Apolline,** per quem carmina nervis concordare, iidem ajunt: non à Minerva, quæ

* Natal. Com. lib. 4. Myth. cap. 6.
** Natal. Com. lib. 4. Myth. cap. 5.

quæ olivam dulciſſimæ pacis ſignum, ac teſſeram,quo eximiis artibus opera dari poſſet tutius, atque quietius, inveniſſe perhibetur: non à Pallade, à qua domum excogitatam, in qua pubes ingenua ingenuis literis impertiretur, honeſtisque moribus perpoliretur, ſcribunt ii, quorum codicillos aliquando manibus terere, lectione frequentare, in ſinu circumferre, volupe eſt, & ſalubre: ſed ab eo, à quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, quique ſolus veri DEI nomine cenſendus eſt, originem traxiſſe ſuam. Hinc viri, quos magno divini numinis afflatu perculſos fuiſſe, credimus, Gymnaſia conſtituerunt, aluerunt, amplificarunt, propagarunt. Quos, niſi eſſent conſpicui, & ego rem paucis perſtringere meditarer, è veris annalibus accitos in pulverem, ac ſolem producere poſſem. At vero ipſos nunc latere patior, quo ad alia excurrere mihi integrum ſit velocius, etiamſi non felicius: poſteaquam infantem meam eſſe orationem mihi fateri neceſſe eſt. Veruntamen, quod res eſt, dicendum eſt: licet jejunè, aridè, exiliter, conciſè, minutè. Nam utilitatem quoque ſubtiliter rimamur? Ecquid diſciplinarum domiciliis utilius? Ubi enim videmus virtutem doceri, ac diſci eam, quæ in hominum ſocietate tuenda, tribuendoque ſuum cuique, & rerum contractarum fide verſatur: quæ erga DEUM religio, erga parentes pietas, vulgo autem bonitas: quæque in rebus fides, in moderatione animadvertendi lenitas, amicitia in

in benevolentia nominatur? Annon in ſcholarum ſpaciis? Ubi virtus innoteſcit, atque inclareſcit iſta, quæ conſiderata periculorum ſuſceptio, & laborum perpeſſio, cujus eſt liberalitas in uſu pecuniæ? Annon in ſcholarum ſpaciis? Ubi virtus inſtillatur, imo infunditur, quæ illicitas obſcœnæ voluptatis illecebras moderatur, quæ inſulſum frænat guſtum, quæ iniqvum gubernat tactum, quæ cuſtos eſt virtutum omnium, dedecus fugiens, laudemque maximè conſequens? Annon in ſcholarum ſpaciis? Ubi denique virtus percipitur, quæ nihil temeritatis caſu, ac ſvaſu molitur, atque machinatur, ſed maturâ conſultatione præmiſſa, ſapienter rem adit, ſuſtinet, perficit? Annon in ſcholarum ſpaciis? Hic lingvæ: hic literæ: hic artes, quæ tam in cognitione, quàm in actione ſunt ſitæ, avido imbibuntur animo: huc veniunt belluæ, & abeunt homines: accedunt rudes, & diſcedunt docti: affluunt inculti, & abitionem faciunt limati. Quod cum ita ſit: in ſcholis animos ornari, ingenia expoliri, humanitatem excoli, vitam regi, mores emendari, nomen comparari ſempiternum, dignitates, atque honores tradi, felicitatem denique ſuppeditari, fatendum eſt. Porro neceſſitatem accurate meditamur? Ecquid tam neceſſarium, quam virtutum diverſoria? Tollite, quæſo, ſcholas: quid tandem in urbe? in orbe quid? Num vigebit, ac virebit & Eccleſia, & Curia, & Oeconomia ſine ſcholarum interventu? Aſſeverare non auſim, cum affir-

affirmatio hæc à veritatis tramite & orbita sit devia. Etenim qui tandem aliquando Ecclesiæ Cathedram grandi cum fœnore, ac fruge premere discupit: is prius in scholis vivat oportet. Nam præter sacrosanctam Theologiam lingvas quoque & Philosophiam avidè arripiat, quo postea suo munere fungatur, atque adeo perfungatur commodius. Quinetiam hac ætate, hac tempestate eorum, qui Christianæ ditionis gloriæ contraeunt, non est paucitas: quorum pennatas, atque venenatas sagittas quis profligabit, ac discutiet? Annon is, qui è scholis bene constitutis effusus? Quod cum Julianus, isque tyrannus crudelissimus, atque immanissimus intellexerit, multum operæ, curæ, industriæ, studii in claudendis Christianorum scholis locavit, atque consumpsit, ne prodirent, à cœlesti veritate qui starent,* eamque in sempiternam orbis terræ memoriam disseminarent. Adhæc unde sapiens, atque prudens Reipub. gubernatio? Annon à viris, qui literis non leviter tincti? Unde autem isti viri emergunt? Annon ex optima institutione? Verum unde optima institutio? Annon è nobilissimis atque illustrissimis Gymnasiis? Illi namque viri, qui scholarum limina calcarunt, & diligenter, constanterque calcarunt, deliberant cum Catone & Themistocle de moderatione civitatis: Illi disserunt cum Solone & Lycurgo de sanciendis legibus: Illi loqvuntur cum Cicerone de frangendis An-

to-

* Socrat. lib. 3. cap. 16.

toniis, & Catilinarum conjurationibus dissipandis: Illi consulunt Cæsarem de totius administratione belli: Illi audiunt Hannibalem de strategemate militari. Quod cum Alphonso regi * potentissimo notum esset, optimos esse dixit consiliarios mortuos: puta libros: quippe è quibus sine metu ac gratia liceret discere ea, quæ ex usu, & commodo imperii. Et ut Philippus Macedo Rex sapientissimus persensit, ** Athenas non tam viribus, aut velocitatibus, aut celeritate corporis, quam doctorum consilio, auctoritate, sententia suffulciri, atque muniri: decem oratores sevocari è cæteris, ac velut excerpi voluit, quo, iis emissis, atque amissis, Athenienses jugo subjiceret suo melius, ac maturius. Magnam itaque vim, magnumque monumentum in literis, & literatis ad conservandas bonisque cumulandas omnibus civitates positum esse, nemo, opinor, nisi hispidus, & bardus, ibit negatum. Quid postea de re familiari dicam? quid? Annè bonus Oeconomus, ac paterfamilias multum juvabitur doctorum hominum evolutione? Annon earum, quas laude condecoramus, artium beneficio in plurimarum utilitatum perceptionem provehitur? Quomodo aliquis ferocem eqvum domabit, nisi cognoverit? quomodo navim reget, qui discipulus non fuerit? quomodo blandis digitis citharæ fides impellet, qui artem non hauserit? profecto id, quod hujus ne-

*Panorm. lib. 3. de rebus gestis Alphonsi.
** Plut. in Demosth.

negotii est, non amplius divinare, sed quasi manu tangere videmur. Redeo equidem in memoriam alicujus fabulæ,* quam enarrare, & enumerare, non erit inconveniens. Etenim in statuarii officinam irrepserat vulpecula, ac contemplando diversi generis, & variæ formæ effigies magnam voluptatem capiebat. Inter omnes tamen una muliebris corporis statua imprimis illam delectabat, ad quam & accessit, & sermonem instituit, & blandissime allusit. Sed, statua immobili persistente, vulpes indignata: quam formosa, inquit, facies cerebro caret! Nonne fabula isthæc iis, quorum hæ sunt ædes, in quibus neque lautitiam, neque elegantiam desideramus, quique fortunas amplissimas; at scientiæ, ac sapientiæ parum possident, accommodari potest? Vestibus enim, ædificiis, supellectile, eqvis, & famulis abundant: mente vero atque judicio tam exiguo sunt, ut nec ipsi quenquam domi suæ talem ferre queant. Atqui cur ita inopes, etiamsi appareant divites? Annon quia honestissimis doctrinarum studiis, & virtuti à primordio ætatis in scholis non fuerunt dediti: nec institutione, ac disciplina probitatem, & intelligentiam rerum sunt adepti? O igitur uberrimum scholarum fructum! o felices, qui sunt haud repugnanter passi, se olim in album discipulorum referri! Jucunditatem denique sapienter contemplamur? Ecquid plus jucunditatis complectitur, quam sapientiæ empo-

* Æsopus, Phædrus lib. 1. fab. 7.

poria? Prodeat ſagaciſſimus ille cœleſtium orbium non perſcrutator modo, ſed imitator etiam Syracuſanus Archimedes:* qui è ſtudiis tantum voluptatis capiebat, ut neſciret patriæ ſuæ cladem, atque perniciem: immo & ſuam necem ac ruinam: etiamſi in ipſo vitæ periculo & articulo hæreret. O admirationem vel maximam! o ſtuporem ſummum! o bonarum artium ſvavitatem plèniſſimam! Cui Philoſophus fuit adeo tenaciter affixus, ut urbis calamitatem, militum atrocitatem, morientium complorationes, concivium dolores, & gemitus, amicorum fletus & luctus, cadentium tectorum fragorem, armorum clangorem, ſuum denique interitum, & internecionem ne ſentiret. En igitur Lycei majeſtatem! En utilitatem! En neceſſitatem! En voluptatem! Quod cum ita ſit: eorum, qui Gymnaſiorum rationem habent, curamque nectunt, vigebit memoria multos in annos, multis teſtata expreſſaque factorum monumentis. Quæ omnia ac ſingula poſteaquam Magnificus noſter Senatus, ac præfulgida civium Corona æquiſſima animi lance ponderârit, atque librârit: ſummè conati ſunt, ut hæc Hamburg. Schola alium indueret veſtitum, in melius mutata. Licet enim iſta laude ſua non caruerit hactenus: non tamen fuit ea, quæ non augenda, locupletandaque: cum in hujus vitæ ſpacio, atque curriculo nihil tam perfectum ſit, quod non optat eſſe perfectius, ut dixit ille, qui benè dixit.

Gg Qua

* Valerius lib. 8. cap. 7.

Qua igitur re iis, quibus jus est, rationum ponderibus, ac momentis examinata, sedulo laboratum est, ut Gymnasii nostri amplitudo, claritas, existimatio esset maxima. Atque istud nostræ, nostræ, inquam, Hamb. Urbis mœnia non modo postularunt, sed quoque efflagitarunt. Annon enim hanc civitatem nostram Germanas appellitare Venetias licet? Quippe quæ non gloria saltem & splendore nominis sui, verum admiratione etiam populum, gentem, nationem tam immanem atque barbaram, quam disciplinis & artibus præcultam & decoratam complevit: & hoc pacto immortalem sibi famam longe lateque confecit. Hæc namque urbs emporium nostræ est Germaniæ nobilissimum, atque celeberrimum: hæc cella penuaria est ditissima, atque plenissima, è qua homines, pagos, oppida, civitates, regiones pasci, sustentari, saginari videmus: hæc multarum est terrarum subsidium: hæc classium, quæ insigniter oneratæ, & ornatæ veloci, ac felici aura advolant, est receptaculum. Certe si Hamburgum è cœlo lapsum fuisset: an pedem, ac sedem figere potuisset commodius? Non credo. Quid enim hic deest, quod adesse debet, sive illud nostrum sit, sive peregrinum, vel ad utilitates, vel ad voluptates mortalium explendas ex transmarinis etiam regionibus delatum? Cum igitur tanta commoditas, tantaque opportunitas, quam nemo, etiamsi magnum ipsi ingenii flumen, magna dicendi aut scribendi vis, magnaque copia

sit,

it, ea, qua par eſt, dignitate enarret, & exornet, huic urbi nobiliſſimæ, florentiſſimæ, ac potentiſſimæ divinitus obtigerit: ſapientiſſime decretum eſt tandem, ut utraque apud nos mercatura floreret. Nec immerito. Etenim fluunt huc vendentes, & ementes: cur non quoque accurrerent docentes ac diſcentes? Illi fiunt ditiores: cur hi non evaderent doctiores? Illi petunt a nobis merces: cur hi non exciperent artes? Eſt urbs noſtra mercatus opum, rerumque transmarinarum: cur ſimul non eſſet emporium ſcientiarum optimarumque diſciplinarum? Agedum: quod multorum hactenus in votis fuit, & optatis, jam demum in via eſt latiſſima, mox, mox progreſſurum lætiſſimè. Nec illud non majeſtas tantum & dignitas noſtræ urbis celeberrimæ, ſed ejus quoque commoditas, atque utilitas expetiit. Ecquis eſt, cui dubitare in mentem venit? Cum enim noſtrum cœlum clementiſſimum, ſaluberrimumque; cum hic locus rerum omnium copia ubertateque affluentiſſimus: cum noſtra civitas pacis, otii, juſtitiæque amantiſſima: cum in alienigenas peregrinosque homines officioſiſſima: quî amabo, adoleſcentes, atque juvenes huc non venient, & tranſibunt? Annon ingenuarum artium ſapientiæque amatores ſunt cupidi Hamburgi mores, ritus, conſvetudines, humanitatem, cultumque vitæ cognoſcendi? Annon parentes ſuos ad nos filios ablegabunt, ut intra noſtræ urbis mœnia vivant: literas diſcant: varias nationes, quæ hic

versantur, atque commorantur, videant? Et quidem tanta studiosorum multitudine nostra civitate aucta: qui non ditabuntur opifices: locupletabuntur cives: amplificabuntur communes thesauri? pecuniæ, quas domo afferent abundantes, locupletesque adolescentes, quasq; a parentibus missas, aut ab argentario numeratas accipient, insumentur omnes in victu parando, vestibusque emendis: &, ut sangvis, per omnes commeabunt, fundenturque corpus civitatis. Verum hæc utilitas licet non parva sit, & contemnenda: minor tamen ea non est, quam nunc nudabo, nec in auribus modo vestris, sed in oculis quoque omnium defigam. Etenim nobilissimo atque florentissimo apud nos Gymnasio aperto: Cives parentes Hamburgenses tam divites, quam pauperes inde commodi, & emolumenti plurimum deportabunt. Nam filios suos tam cito, ut hactenus factum, non ablegabunt: sed per longiorem temporis flexum, ac fluxum secum detinebunt: nec à præsentibus præsentes fallentur: ipsi suorum rationem habebunt, inspectoresque erunt, ne atra vitiorum fuligine obfuscentur: neque corpori periculum creent: quemadmodum alibi, proh dolor, multi sauciantur, qui à suis remoti non studiis, sed vitiis inhiant: non de gratia referenda, sed de injuria ulciscenda cogitant: non de colendis artibus, sed de faciendis cædibus cogitationes suscipiunt: pecuniis, quæ alioquin in peregrinas regiones ad bonas artes capessendas mit-

mitti solent, non emungentur: thesaurus à largis non decoquetur: quem alias multi, apud peregrinos dum sunt, alea, commessationibus, alisque illecebris turpibus dilapidant. Quinetiam multi hic sunt adolescentes, præclarum, docile, ac versatile nacti ingenium: qui se domi tradent literarum cognitioni earum, quas foris propter domesticæ familiarisque rei tenuitatem discere non possunt. Tandem Hamburgenses studiosi minori cum parentum sumptu, & majori cum studiorum fructu, simul etiam cum maturiori judicii cultu in Academiis virides Musarum hortos excolere queunt. Annon questus perspicitur uberrimus? Annon istud lucrum in filios: à filiis in parentes: à parentibus in rem familiarem: à re familiari denique in totius civitatis compagem manabit? Quæ cum ita se habeant: tota urbs nostra Magistratum nostrum nobilissimum, atque cives ornatissimos monuit, ac movit, ut hic Gymnasium curarent fundandum. En fundabitur. Quapropter omnium eorum, qui cum nostro sunt imperio: quique tam consilio, quam auxilio huic scholastico operi, ac corpori præesse, ac prodesse gravati non sunt, memoriam excipiet, ac tuebitur immortalitas. O beatos vos Dominos! o faustos vos Patronos! vestræ laudes celebrabuntur: & illæ quidem non nostris solum, sed aliarum quoque gentium literis, atque lingvis: neque ulla unquam ætas de vestra gloria conticescet. Jam porro ad ea, quæ objici posse videntur, excurro.

Etenim obloquetur aliquis, & num, inquiet, consultum sit, ut Hamburgi, quod est emporium, variis nationibus, ac populis plenum, atque confertum, aperiatur Gymnasium? Cur non? Num mercatura externa internam tollit? Annon utraque uno eodemque in loco junctim exercebitur? An apud nos Musarum templum, optimarum artium officina, bonarum literarum palæstra, disciplinarum domicilium, virtutum diversorium, sapientiæ emporium esse non potest propter negotiationes? An nostra urbs non sit nobilium ingeniorum cultrix, & altrix, propterea, quod sit multarum rerum, quibus humanus ordo, humana conditio, humanum genus indiget, mercatura? Num ibi non sint docentes, ubi vendentes? Num à nobis discedant discentes, quia accelerent ementes? Num ex urbe nostra expellendæ sint liberales doctrinæ, cum intromittendæ sint merces transmarinæ? Num hic nemo evadat doctior, posteaquam homo fiat ditior? Civitas nostra excipiat negotiosos. Ergo non admittat studiosos? Hamburgum sit affluens negotiatoribus: sed ne etiam sit vacua sapientibus: quibus cur turpe bellum indicamus? cur istos apud nos non patiamur? Addo & hoc. Nobile est Hamburgum, cum ibi vigeat mercatura: nobilius erit, quando hic etiam florebit bonarum artium cultura. Illustre est propter opes ac dotes egregias: illustrius deinde erit ob doctrinas, atque disciplinas ingenuas. Insigne est, quandoquidem mirabili aquarum

rum dorſo, ac tergo ditiſſimæ adportantur naves: inſignius poſtea erit, cum facultates diligentiſſimis adoleſcentum ingeniis avehantur ſuaves. At inſtabit quis: ſtudia equidem magnifacio: ſed vereor, ne peregrinorum juvenum adventu, licentiâque turbetur, infringaturque diuturna pax civitatis, oriantur rixæ, cædes etiam fiant. O inanem ac vanum timorem, & metum! Annon juſtiſſimæ ſanciri queunt leges, quarum habenis adoleſcentes ita compeſcantur, atque regantur, ne fiat aberratio? Nonne adſunt apud nos viri pietate, doctrina, virtute, gravitate, auctoritate eminentiſſimi, qui ſapientiſſima, atque prudentiſſima cautione providebunt, ne ejuſcemodi malorum diluvies inundet? porro quas cædes factas, quas rixas excitatas, quas denique iras incenſas audiviſtis alibi locorum, in quibus Gymnaſia inſtituta? Numquid, ſi ſtudia publicam pacem convellerent, civitates perturbarent, ſeditiones gignerent, locum in bene conſtitutis civitatibus habuiſſent? Numquid ingenuæ artes, ingenuique artifices probati ſuſceptique fuiſſent? Quin contra pace literæ ſunt procreatæ: pace ſunt conſervatæ: pace aluntur: pace augentur; bello autem & in diſcordiis non ſolum conticeſcunt, ſed etiam obmuteſcunt, ſive potius evaneſcunt. Quapropter qui literas ſeqvuntur, quietas, non turbulentas artes ſectantur: doctrina excellere pulcrum putant, non armis: libros curant, non gladios: Minervam, non Martem colunt: inge-

genio gloriam quærunt, non manu: legendo, audiendo, meditando, scribendo, discendo, non pugnando, quo volunt, cupiuntque, perveniunt. Et sane licet interdum aliquid incommodi enasceretur: non tamen propter exiguum, & infrequentem abusum res ipsa, ejusque usus cum utilissimus, tum maxime necessarius ex hac urbe expellendus, exterminandus, ejiciendus esset. Quod si deberet fieri: qui tandem status apud nos tolerari posset? Annon quilibet suis nonnunquam scatet incommodis? Num propterea arcere, frangere, dissipare istum, fas est? Quid plura? Illi, qui clavum tenent, sua assiduitate, consilio, auctoritate, diligentia perficient, ut istis, quæ formidini sunt, ac terrori, malis occurratur, ne hic serpendo, ac rependo perniciem nobis invehant. Novissime, ut huic orationi finem imponam ultimum, Deo opt. max. gratias agimus tantas, quantas mens nostra concipere potest: quod utilem, atque laudabilem bonorum patronorum conatum secundârit ac fœcundârit hactenus. Videte: fructus jam extat in spicis: jam, jam, credite mihi, messis erit fertilis, non sterilis. Proinde clementissimo, ac potentissimo Jehovæ sumus supplices, ut quod inchoatum est, negotium ad exitum perveniat exoptatissimum. Præterea universos, atque singulos, qui huic novi Gymnasii institutioni operam navarunt suam, deprædicamus, nec non eum, cujus à nutu, ac voluntate pendent omnia, precamur, ut ipse laborem, quo fidelissimi pa-

tro-

troni se fatigarunt & fatigabunt deinceps, remetiatur, atque remuneretur largissimè. Adhæc Senatum nostrum Magnificum, & Munificum: tum cives ornatissimos, atque liberalissimos oramus studiosissime, sumptibus ne parcant, nec vigiliis, ut scholasticum hoc corpus, atque opus primo quoque tempore erigatur, erectum teneatur, tentum confirmetur, confirmatum amplificetur: præsertim cum, quæ in istud agendæ sunt, impensæ haud deficiant. Nostræ enim, DEI gratia, civitati præstantissimæ, cujus fama omnes terrarum fines, atque terminos jam pridem laudate pervasit, fortunæ sunt amplissimæ: de quibus tantum cur non pluat, ac fluat, quantum huic Gymnasio celeberrimo adjudicandum atque deputandum? Num communis ille thesaurus ob istas jacturam faciet? Quis, ut asseveret, percelletur? Annon Jehova ditissimus id, quod ipsius gloriæ velificatur, pensabit plenissimè? Quis, ut neget, impelletur? Certe eorum, qui, posteaquam cita & scholarum, & Ecclesiarum carbasa promoverunt, ditari sunt cœpti, non est raritas: quos, nisi orationis filum esset abrumpendum, ob lumina sisterem. Sed cur hæc disputo? Non profecto, quod de vestra voluntate propensa in hanc rem quicquam mihi dubium soboriatur: quippe, qui jam pridem cognovi, vobis omnibus hoc nobilissimum, atque laudatissimum Gymnasium admodum cordi esse ac curæ: sed ut vos tum laude prosequar dignissima, tum alacriter currentes appellem, & cursum esse optimum, atque justissimum, o-

ſtendam: ac propterea ſine mora & cunctatione urgendum, quo meta tangatur, & apprehendatur maturius. Hinc veſter ſplendor: hinc veſtra gloria: hinc veſtrum decus. Qui enim dies, quæ temporis vetuſtas, qui denique caſus hanc meritorum veſtrorum magnitudinem oblivione obruet, extingvetque? Quod cum ita ſit: ſpes nos obtentat, eaque haud fallax, fore, ut opinione celerius Gymnaſium, quod multi exorarunt, proemineat. Quod enim optimo apud nos ordine non compoſitum eſt, ac digeſtum? Annon Eccleſia creſcit: Reſpublica vireſcit: Oeconomia augeſcit? Quomodo igitur ſchola cujuscunque ordinis ſeminarium poſthaberi deberet, & negligi? Diligentiſſima quidem hic cogitatio ſuſcipitur pauperum, ut liberaliter alantur: orphanorum, ut cumulate nutriantur, ingenueque erudiantur: exulum, ut unde vivant, ſuppetat: peregrinorum, ut & eorum noſtra urbs ſit alumna, & altrix: qua itaque conſcientia poſſemus noſtrorum liberorum oblivíſci? An ignoti notis, peregrini civibus, alienigenæ domeſticis anteponendi? Non ſperamus: ſed potius firmiter nobis perſvaſum habemus noſtrum ex templo Gymnaſium iri apertum, atque adaptatum, ut noſtro voto appellari, ſalutari, beari queat. Cæterum me tam claſſium, quam lectionum inſpectorem, directorem, moderatorem dari intelligo. Ardua ſane provincia! Quæ cur non alii impoſita, atque demandata? Sunt enim in hoc venerabili numero, qui aptiores, & magis


ido-

idonei fuissent isti honori, & oneri: quam ego omnium minimus. Attamen ego sevocatus è cæteris, ac velut excerptus in hunc pulverem inseror, atque intrudor: etiamsi istius multitudinem, & magnitudinem effugere, & declinare aliquoties cupida, atque avida mihi mens fuerit: id quod Domini spectabiles, qui ob inspectionem me appellatum venerunt, testatum faciunt, atque relinqvunt. Quia vero aliter fieri haud potuit, quam ut paterer istam in me devolvi molestiam: acquiesco vestræ voluntati, indubia spe nisus, ac fisus futurum, ut divinis viribus toris, ac lacertis vestitus atque amictus, quod mei muneris est, non langvide, non indiligenter obeam. Polliceor itaque & profiteor vobis meam industriam, studium, ingenium: si quid mea præsentia, & sapientia, quam licet in me exiguam esse, non ignorem, præstare potuero: non committam, meæ ullo modo partes ut desiderentur, atque requirantur. Et quoniam absque ope divina omnis læva auspicatio est: ad te converto me: O JESU CHRISTE! Doctor, inspector, director, moderator optime! Tu mihi hanc inspira mentem, ut dignus inspectore, dignus scholastico cœtu, dignus tota sim civitate.

VOTUM.

Artibus ingenuis nostrum clarare Lycæum
CHRISTE velis: promat dein tibi grata: rata.
Ampliter ut doceant, discant: ô summe Magister!
Largiter affundas nobile Flamen: Amen.

ORI-



ORIGINES
GYMNASII HAMBURGENSIS.

Um in publico S. P. Q. H. conventu A. MDCXI. 7. Id. Nov. decreta esset reformatio Scholæ Joh. & Gymnasii novi Institutio, ut Petrus Lambecius p. 66. Oratt. annotavit, præcedentem Orationem Jac. Reineccius A. MDCXII. 4. Non. Sept. habuit in Lectorio sive Auditorio templi Cathedralis, atque deinde in eodem Auditorio prælegit Epistolam S Pauli Apostoli ad Galatas, facto initio ab eodem Anni die IV. Dec. Gymnasium vero ipsum atq; adeo auditorium, Scholæ vicinum, in quo ad præsens usque tempus prælectiones publicæ a Professoribus Gymnasii habentur, solenniter inauguratum est die 12. Augusti A. MDCXIII. atque introducti Professores bini M. Henricus Rumpius *&* M. Jacobus Werembergius, *quorum uterque Pastorem simul Ecclesiæ gessit ille ad S. Johannis, hic ad ædem S. Mariæ Magdalenæ. Delecti quoque erant Matthias Wolthe-rus, Phil. & Med. D. atque M. Martinus Willichius, Jacobi Reineccii, qui Inspector Gymnasii debebat esse & interim obierat in Pastoratu ad S. Catharinæ successor: sed cum illi munus accipere tergiversarentur, hoc oblatum est* Petro Laurembergio, *Phil. & Med. D. &* Zachariæ Scheftero, *Gymnasii Lauenburgensis Inspectori. Inaugurationi tamen solos ex novis Professoribus interesse contigit Rumpium ac Werembergium, toto*

Am-

Amplissimo Senatu, Rev. Ministerio, Doctoribus, Licentiatis & Duodecimviris (ne aliam frequentiam in praesenti memorem) actum hunc, qui mane post nonam auditam coepit praesentia sua condecorantibus. Primo loco Consul, tum maxime Praeses, VINCENTIUS MOLLERUS, J. U. L. decretam à Patribus institutionem Gymnasii declaravit, Syndicumque THEODORUM RADEMINUM, J. U. D. jussit plura hac super re verba de cathedra superiore facere, deinde duos illos quos dixi Rumpium Werenbergiumque adducere, ac felicibus auspiciis munus Professoris imposterum fideliter ab illis obeundum solenni ritu committere. Hinc Rumpius primum, deinde Werenbergius Orationem Inauguralem dixit, atque toti actui plausus & congratulationes colophonem imposuerunt. Cives Gymnasii matricula jam circiter bis millenos numerat, atque in his non paucos praeclaros in omni doctrinae genere, insignesque, sive in patria sive extra hanc civitatem summa dignitate Viros.

INSPECTORES GYMNASII.

M. Jacobus Reineccius, Pastor ad S. Catharinæ, A. 1612, 1613.

M. Jacobus Fabricius, Pastor ad S. Jacobi, A. 1614. ad 1616.

D. Petrus Laurembergius, & *M. Henricus Rumpius*, junctim, A. 1616. usque ad mensem Jul. 1620.

RECTORES.

M. Zacharias Schefterus, ab A. 1620, 13. Jul.

M. Hen-

M. Henricus Rumpius, vices Rectoris obivit A. 1626. 1627.

Jo. Huswedelius, Hamb. ab A. 1627. 24. Maj. ad prid. Cal. Mart. 1629.

Joach. Jungius, Med. D. Rector Gymnasii renunciatus est 19. Mart. 1629. Inspectorem etiam se interdum vocat. Functus est illo munere usque ad A. 1657. 26. Aug.

Henricus Vagetius A. 1657. ad 1659.

Petrus Braun seu *Bruno* A. 1659. 1660.

Petrus Lambecius à 12. Jan. 1660. usque ad mensem Martium A. 1662. Vocat & hic subinde se Inspectorem.

Petrus Braun, iterum ab Aprili A. 1662. ad Sept. 1663.

Ægidius Gutbier, SS. Theol. D. à Septembri A. 1663. ad 27. Sept. 1667.

Mich. Kirstenius, Med. D. ab A. 1667. usque ad A. 1675. 10. Febr. quo tempore statutum est ut Rectura per vices à Professoribus annuatim obiretur.

RECTORES ANNUI.

Idem Mich. Kirstenius, usque ad A. 1676. Sabbat. post Pascha.

A. 1676. Rudolphus Capellus, SS. Th. D.

1677. Vincentius Placcius, J. U. L.

1678. Eberhardus Anckelmann, SS. Th. L.

1679. Henricus Siverus.

1680. Jo. Vagetius.

1681. Dan. Butnerus, J. U. L.

1682.

A. 1682. D. Rudolpuus Capellus.
1683. L. Vincentius Placcius.
1684. L. Eberhardus Anckelmann.
1685. Henr. Siverus.
1686. Jo. Vagetius.
1687. L. Dan. Butnerus.
1688. Georg. Eliefer Edzardi.
1689. L. Vincentius Placcius.
1690. L. Eberhardus Anckelmann.
1691. Henr. Siverus, eoque defuncto ProRector L. Vincentius Placcius.
1692. L. Dan. Butnerus.
1693. Georgius Eliefer Edzardi.
1694. Gerhardus Meier, SS. Th. L.
1695. L. Vincentius Placcius.
1696. L. Eberhardus Anckelmann.
1697. Georg. Eliefer Edzardi.
1698. L. Gerh. Meier, eoque 21. Oct. Quedlinburgum ad Superintendentis munus digresso, ProRector Vincentius Placcius, cujus & ipsius partes 6. April. 1699. defuncti usque ad festum Paschatos Georg. Eliefer Edzardi, tanquam Collegii Senior obivit.
1699. Balthasar Menzerus.
1700. Jo. Mullerus. Philos. & Med. D.
1701. Sebastianus Edzardus.
1702. Jo. Albertus Fabricius, SS. Th. D.
1703. L. Eberhardus Anckelmann, eoque 1. Nov. defuncto Georg. Eliefer Edzardi.
1704. Georgius Eliefer Edzardi.

A. 1705.

A. 1705. Balthasar Menzer.
1706. D. Jo. Mullerus.
1707. Sebastianus Edzardi.
1708. D. Jo. Albertus Fabricius.
1709. Jo. Fridericus Wincklerus.

Post *M. Jacobum Reineccium* A. 1613. 28. Jun. ætatis 42. ut supra p. 877. dictum est, denatum, Inspector Gymnasii ab Amplissimo Senatu delectus Anno 1614. est *M. Jacobus Fabricius*, Pastor ad S. Jacobi, & utroque munere functus usque ad A. 1616. quo vocatus Gottorpium est a Duce Serenissimo Holsatiæ Friderico. Hinc in Catalogo Lectionum mense Octobri edito hæc de illo occurrunt: *De operis vero & lectionibus quibus imposterum diligentia illius & labores forent locandi, non est, quod polliceri Gymnasio huic aut Studiosis quicquam possit. DEUS enim qui homines nos quasi aleæ calculos habet, collocat ubi vult, alium huc alium alii inserit loco, etiam illum ad illustrissimum Slesvici & Holsatiæ Principem hinc avocavit, ut utriusque Ducatus Ecclesiæ & piorum cœtui magno cum emolumento & salutepræsit.* Vide supra p. 883. seq.

M. Marcus Ivo, Lector Secundarius in templo Cathedrali, cujus supra p. 903. mentio facta est, comparet in Catalogis Lectionum Gymnasii, ab A. 1614. ad A. 1621. & ultimo quidem loco usque ad A. 1620. Deinde statim post Theologos, de quibus mox, Willichium & Sluterum

rum, vocans ſe SS. Theologiæ Ordinarium Lectorem ſive Profeſſorem & in æde Cathedrali Concionatorem. Succeſſor Ivonis *L. Gerhardus Gravius* comparet in Catalogo utroque Anni 1640. primo loco collocatus. In aliis deſideratur.

M. Martinus Willichius, Paſtor S. Catharinæ & Rev. Miniſterii Senior, docuit in Gymnaſio Theologica ut apparet ex Catalogis Anni 1621. 1622. Dixi de eo p. 878.

M. Severinus Sluterus, Paſtor S. Jacobi, Theologica docuit in Gymnaſio, ut docent Catalogi A. 1621-1625. Vide de eo ſi placet ſupra p. 884.

Joh. Fridericus Mayerus, SS. Theol. D. & Paſtor ad S. Jacobi meritiſſimus, plures in Gymnaſio habuit Lectiones Theologicas, & quæ typis exſcriptæ ſunt diſſertationes, quæ alibi à me recenſebuntur. Diſceſſit Gryphiswaldiam A. 1701. circa Michaelis feſtum, ut memini me monere p. 886.

PROFESSORES PUBLICI IN GYMNASIO HAMBURGENSI.

M. Henricus Rumpius, Hamburgenſis, Profeſſor antea Hebr. & Græcæ lingvæ in Academia Julia A. 1597. vocatus in Patriam ut adjungeretur M. Iohanni von Düten, Paſtori S. Iohannis, & deinde electus Paſtor ad S. Mariæ Magdalenæ, & 1613. 12. Martii Profeſſor Gymnaſii, introductus 12. Auguſti. Hebræas, Græ-

Hh cas-

casque litteras & Theologica prælegit. Nomen ejus obvium in Catalogis ab A. 1614. & A. 1621. adjungitur lectoribus Theologis. Obiit A. 1626. 16. Aug. ætatis 65. De ejus vita & scriptis consulendus filius Marcus Rumpius, cujus scriptum Henningus Witte inseruit memoriis Theologorum p. 885.

M. Jacobus Werenbergius, Hamb. ex Diacono ad S. Petri ædem Pastor S. Mariæ Magd. & inde una cum Rumpio Professor electus & introductus docuit in Gymnasio Logica & Metaphysica. † 1623. 29. Ian. Scripta ejus quædam refert Henningus Witte in Diario Biographico. Doctrinam ejus ac virtutes singulari oratione celebravit Henricus Vagetius, quam volumini tertio harum memoriarum inserere animus est.

Petrus Laurenbergius, Rostochiensis Phil. & Med. D. electus 1613. 3. August. Physica & Mathematica in Gymnasio docuit ab A. 1614. ad 1624. quo in patriam reversus est ad Professionem Poëseos ibi capessendam. † 1639. 13. Maji.

M. Bernhardus Werenberg, Hamburgensis, Jacobi frater, hactenus Rector Scholæ Haderslebiensis & antea Spandoviensis, A. 1613. 3. Aug. electus Professor Hamb. docuit in Gymnasio Logica, Historica, Ethica, Politica, Chronologica, Cosmographica, Geographica. † 1643. Cal. Jun. ætatis LXVI.

M. Za-

M. Paulus Sperling, Eckendorffensis Holsatus, à Rectura Scholæ Flensburgensis vocatus ad Recturam Scholæ Hamb. A. 1591. 9. Febr. & introductus 28. Junii, simulque A. 1613. Professor Eloquentiæ constitutus, Rectoratu Scholæ sponte se A. 1619. abdicavit. † 1633. 13. Jun. ætat. 73.

M. Zacharias Schefter, Cygneus, Megalburgensis, ex Gymnasio Saxonico Coburgensi cujus directorem gesserat, Gymnasii Hamburg. & Scholæ Classicæ Rector, electus 15. Februar. 1620. introductus 13. Iul. Docuit primo Ethica, deinde post Jac. Werenbergii obitum Logica quoque & Methaphysica, ac post Laurenbergii discessum Physica etiam atque Mathematica. † 1626. 5. Mart.

Jo. Huswedelius, Hamburgensis, è Conrectore Hamburgensi, Rector Scholæ Senatoriæ & Professor Ethices in Academia Rostochiensi, atque inde Rector Gymnasii & Scholæ Hamb. electus A. 1627. introductus 24. Maj. habita oratione de Rectoris officio, quæ typis exscripta extat. Post anni spatium remigravit Rostochium, veteremque spartam ibi amplexus, † 22. Octobr. 1652. ætatis 75. Orationem memoriæ ejus dicatam à Joh Christophoro Husvvedelio, habebis infra Volumine tertio.

Joachimus Jungius, Lubecensis, Phil. & Med. D. electus una cum Kleinio, Tassio, Vagetio (de quibus statim infra) ac Physicæ Professor, Gy-

mnasiique & Scholæ Rector esse jussus 19. Februar. 1629. introductus 19. Martii. cum jam in Academiis Helmstadiensi & Rostochiensi artem Medicam & Mathematicas disciplinas ante docuisset. Rectura Scholæ se abdicavit A. 1640. 16. Iul. † 1657. 23. Sept. ætatis 70. De insignis hujus Philosophi vita, scriptis, inventis, testamento videnda Martini Fogelii commentatio, quæ ex auctiore editione Argent. 1658. 4. extat in tomo 2. Memor. Philosophorum Henningi Witte p. 261.

M. Johannes Kleinius, Professor Oratoriæ cum Jungio electus, Rostochii substitit.

Joh. Adolphus Tassius, Fœrdensis, electus Mathematum Professor 1629. 19. Febr. † 1639. 9. Oct. De præclaro hoc viro infra.

Henricus Vagetius, Hamburgensis, cum munere Præceptoris in tertia classe Scholæ Johanneæ sponte se abdicasset, electus A. 1629. 19. Febr. Professor Antiquitatis & humanitatis. † 1659. 4. Jun. De hoc infra.

M. Martinus Ludemann, Schœppenstetensis, Logicæ & Metaphysicæ Professor, electus eodem quo Vagetius, Tassius, Kleinius & Jungius tempore. Sed functionem in vicinia * Ecclesiasticam nactus anno 1639. 21. Mart. Oratione publica Gymnasio valedixit, quam programmate typis exscripto intimavit Bernhardus Werenbergius. Ab eo tempore rationalem etiam disciplinam publice professus est

* In Insula veteri, Altenwerder.

est clarissimus Logicæ Hamburgensis scriptor Jungius.

Petrus Braun sive *Bruno*, J. U. D. Philosophiæ Practicæ Professor, formulæ Concordiæ subscripsit 3. Januar. 1652.

Petrus Lambecius, Hamburgensis, J. U. D. Professor Historiarum, introductus est 13. Jan. 1652. Deinde Rector Gymnasii inauguratus Idibus Jan. 1660. Discessit Hamburgo, Romanæ Ecclesiæ deinceps nomen daturus, ante Paschatos Festum A. 1662. atque per litteras deinde dimissionem ab Amplifs. Senatu petiit & impetravit. † Vindobonæ ubi Præfectum Bibliothecæ Augustæ gessit, A. 1680. mense Mart. ætat. 52. De celeberrimi hujus & doctissimi Viri Vita & scriptis consulere juvat P. Bælii & Rev. D. Jo. Francisci Buddei Dictionarium Historicum, & C.V. Jo. Molleri introductionem in Historiam litterariam Chersonesi Cimbricæ p. 537. seq.

Ægidius Gutbier, Weissenseeâ Thuringus, SS. Th. D. electus communibus suffragiis Professor Lingvæ Hebrææ & Orientalium 5. Ian. 1652. introductus 25. Januar. verba fecit de lingvarum præsertim Orientalium necessitate & utilitate. † 17. Sept. 1667. ætatis 50. De hujus Viri, cui insignem illam Novi Testamenti Syriaci editionem Studiosi debent, vita & scriptis adeunda Rev. D. Georg. Henrici Gœzii, Superintendentis Lubecensis dignissimi elogia Philologorum Hebræorum p. 6. seq.

Michael Kirstenius, Berona Silesius, Phil. & Med. D. electus Professor Mathematum 2. Nov. 1655. introductus 22. Nov. Sed loco Mathematicarum disciplinarum quæ 17. Febr. 1660. docendæ commissæ sunt Mullero, Physica & Poëticen deinceps profiteri cœpit. † 2. Martii 1678. æt. 58. De eximio hoc Viro infra.

Joannes Mullerus, Hamburgensis, J. U D. Professor Mathematum electus est 17. Febr. 1660. introductus 15. Mart. disseruit oratione inaugurali de scientiarum Mathematicarum laudibus & in vita humana necessitate. †1671. 24. Maji. De digno hoc Jungii Tassiique discipulo infra, Volumine tertio.

Rudolphus Capellus, Hamburgensis, SS. Theol. D. electus Professor Oratoriæ & Humanitatis 17. Febr. 1660. introductus 3. April. orationem inauguralem habuit de boni Oratoris necessitate. † 1684. 20. April. De ejus vita & scriptis consules Rev. D. Georgii Henrici Gœtzii, Antistitis Lubecensis Elogia Germanorum Theologorum A. 1708. edita p. 180. seq.

MONU-

MONUMENTA
GYMNASII HAMBURGENSIS
INSTAURATI,

ANNO CHRISTI CIↃ IↃC LXXV.

EOQUE NOMINE,

BONA VERBA

ET

CONGRATULATIO.

A. C. M DC LXXV.

D. O. M.

SAPIENTIÆ AUCTORI,

INCLYTÆ REIPUBLICÆ,

EJUSQUE PRÆSIDIBUS,

ATQVE

MAGISTRATIBUS AMPLISSIMIS,

& inprimis

SCHOLARCHIS,

ATHENÆI INSTAURATORIBUS,

HONORIQUE HUJUS,

Ut &

CLARISSIMORUM VIRORUM,

PROFESSORUM NUPER ALLECTORUM COLLEGARUM ACCEDENTIUM AMICISSIMORUM,

L. M. Q.

D.

MICHAEL KIRSTENIUS.

B. F.

A. C. cIↄ Iↄc LXXV. Ineunte,

Poſt antegreſſas Conſultationes,

Legesque Renovatas,

& SC.

DEO NOS RESPICIENTE,

GYMNASIUM HAMBURGENSE

INSTAURATUM EST,

Boni Publici Eccleſiæ, Reipublicæque Cauſſa.

Rempublicam regebant Consulari
potestate summa
MAGNIFICI, NOBILISSIMI, AMPLISSIMIq;
VIRI,
D. NICOLAUS JARRIUS, J. U. L.
Consul Senior, & Præses,
Cum Professores allegerentur novi:
D. JOHANNES SCHULTIUS, J.U.L.
Consul & Præses,
cum introducerentur:
Ambo Custodes Salutis Publicæ
vigilantissimi.

Splendido Scholarcharum Collegio
præsidebat
NOBILISSIMUS PRUDENTISSIMUSq;
VIR
D. THEODOR. MOLLERUS, J.U.L.
Senator, & Scholarcha primus,
Rei Literariæ Vindex,
Ecclesiæ præerat Antistes summus
VENERABILIS PRÆCELLENSq;
VIR
D. M. GOTHOFREDUS GESIUS,
Pastor Ecclesiæ D. Nicol. Reverendi
Ministerii Senior.
Vir antiqua virtute, & fide.

Omnes Musagetæ cum cæteris spectatissimis Collegis,
Quos tantorum munerum auctores Musæ ipsæ vetabunt mori.

D. XI. Januar. Mens. Juliani,

Allecti Constitutique sunt Professores IV,
NOBIL. CLARIS. DOCTISSIMIq;
VIRI,

MARTIN. FOGELIUS, Ph. & M. D.
Logicæ & Metaphysicæ,

VINCENTIUS PLACCIUS, J. U. L.
Phil. Pract. & Eloq.

EBERHARD. ANKELMANNUS,
S. Th. L. Linguæ Hebr. & aliar. Or.

HENRICUS SIVERUS, Math.
Disciplinar.

Introducti sunt eo ordine, quo creati,
D. XXV. Febr. D. XI. Mart. D. XVIII. Mart. D. VIII. April.

Candidi calculi fuerunt quasi
Minervæ.

Amici & Collegæ
Ite feliciter, spartas nacti estis, eas ornate,
Et ornabitis, quæ vestra est virtus, quam augeat, & juvet diu DEUS.

A. C. cIↄ Iↄc XI. VII. Id. Nov.

In Comitiis Reip. H. sive solemni Senatus Ampliss. & Civium Conventu,

Decreta fuit Gymnasii Constitutio.

A. seq. IV. Non. Septembr.

Gymnasio moderando Præfectus est Primus VIR

Reverend. & Clarissimus

M. JACOBUS REINECCIUS,

Pastor Eccles. S. Nicol.

A. cIↄ Iↄc XV. post Pascha,

Leges Primæ publicatæ sunt:


Quæ deinde sunt repetitæ, auctæ, emendatæ,

Et ultimo sancitæ A. cIↄ Iↄc LII. IV. Nonar. Januar.

Hactenus hæc: cætera,

Quæ restiterint, porro curæ erunt DEO, Superstitibus, Posteritati.

I. DEO



I. DEO OPT. MAX.

SANCTE DEUS, de quo nobis mens insita venit,
Lux minor, ex lucis fonte revulsa tuæ,
Debentur summæ tibi grates, omnia summa
Nempe tibi summo sunt tribuenda DEO.
Nos viles, nullaque sumus virtute potentes,
Tu das, Tu reparas quicquid ubique boni.
Auge, quæ nobis nunc incrementa dedisti,
Optima perpetuo cœpta favore bea.
Sit princeps pietas, & sit sapientia sollers
Altera, supremum munus utrumq; tuum est.

II. HAMBURGÆ.

URBS Albi vicina, mari conjuncta per Albim,
Unde per immensas Orbis aditur aquas,
Erige te, rursum dum reddis gaudia Musis,
Et Musæ referunt munera vera tibi.
Erige te, turresque tuas, vexillaque tende
Altius, & priscis res bene junge novas.
Cum CHRISTO quondam Musas huc Carolus ingens
Miserat, & nati pluribus auxit amor,
Auxerunt alii. Crux hæc sanctissima victrix
Constitit, hanc Pallas docta secuta fuit.
Sed multi casus res turbavêre secundas,
Ut variæ versant omnia nostra vices.

Vin-

Vicerunt iterum, vincunt nunc rursus, & alto
Jam fulsisse reor sidera fausta polo,
Mercurii inprimis, qui longe à Sole recessit
Eous, radiis liber, & ore nitens.
Mercurius placeat nobis (depicta loquamur)
Carus Atlantiades urbibus esse solet:
Sed geminus, doctusque magis, qui plectra libros que
Dividit, & Musis gaudet adesse comes.

III. Magnifico Senatui, Patriæ Patribus & Musagetis.

O PATRIÆ PATRES, queis publica commoda cordi,
Quos Servatores laudat Apollo suos,
Qua re præcipue vos patres esse probatis,
Nomine quo nullum sanctius, atque prius?
Affectu præstant patres, curaque paterna:
Esse sibi natos egregiosque volunt.
Non natura bonos homines, sibi nempe relicta:
Disciplina bonos, Musaque docta facit.
Et PATRIÆ PATRES, quibus est prudentia, cives
Esse sibi natos, eximiosque volunt.
Præstant hoc Musis in aperta Lycea reductis:
Hic homines fiunt, hoc facit esse Patres.
Herculeus labor est vitiorum pellere monstra,
Ducere Pierides Herculeus labor est.
Hoc virtutis opus. Vos ducitis: o bene fiat,
Adjuvet æterna vos DEUS auctor ope.

Civi-

Civica ponatur vobis in fronte corona,
Civilis, per quos est reparata salus

IV. *Amplissimis Scholarchis.*

ILLUSTRES radiis, quos circumfudit Apollo,
Quos DEUS hic Phœbi jussit obire vices:
Qui Musas nobis, & doctas redditis artes,
Per quos Parnassi nunc revirescit honos:
Salvete, & vires vestras successibus istis
Discite, Musarum qualia præstet amor.
Non tantum prosunt, qui donant rara metalla,
Aut reliquas terræ luxuriantis opes.
Plus præstant, quicunque ferunt meliora beatis
Civibus, unde salus vera, decusque fluit.
Munera sunt hæc vestra, quibus Respublica floret:
Non meritis possunt his potiora dari.
Non aliis etiam crescetis laudibus æque:
Non virtus radio splendidiore nitet.
Quilibet egregius civis, bene doctus, haberi:
Et quovis vestrum tempore debet opus.

V. *Civibus.*

PLURIMA commendant urbes: turresque, domusque,
Mœniaque, & fossæ, templaque juncta foris,
Arma, rates, agri, sylvæ, commercia, gazæ,
Pluraque: commendant, egregieque juvant.
Sed servire DEO debent hæc omnia, debent
Virtuti, summo sint leviora bono.

Plu-

Sunt homines, non sunt lapides Respublica, non sunt
Eruta de terris pondera, deque mari:
Sunt homines virtute boni, CHRISTOque fideles.
Sed virtus partes, si numeremus, habet.
Relligio, pietas, sapientia nobilis, artes,
Lingva potens fando, vitaque labe carens,
Hæc ferme absolvunt. Quod si non integra summa
Sperari, tamen hinc pars quotacunque potest.
Vos, CIVES, homines urbi patriæque dedistis,
Atque bonos recte culta Lycea dabunt.

VI. Auctoribus Gymnasii.

AUCTORES, quorum pietas & cura Lyceum
Condidit hoc, quorum nos benefacta manent,
Impositi vestris cervicibus imus in altum:
Debentur cœptis cætera cuncta bonis.
Qui glaciem frangit, faciles parat omnibus undas,
Qui reperit fontes, usque ministrat aquas.
Pro vestra pietate DEUS det sidera vobis,
Floribus hic vernent vestra sepulcra novis.
Famaque, ceu fragrans stacte, diffundat odores,
Nomina ceu gemmas doctior orbis amet.
Hic tua laus nobis merito, venerande * RENECCI, Et

* *Admodum Rever. & Claris. D. M. JACOBUS RENECCIUS, Eccles. S. Cathar. Pastor.*

Et tua nunc, * FABRICI, laus renovanda venit,
O conservetis vos munera tanta, nepotes:
Degeneres ne vos arguat ulla dies.

VII. Gymnasio.

NON EQUIDEM veteres nobis habitantur Athenæ,
Cui pro præsidio docta Minerva fuit:
Non hic est densis umbrosa Academia sylvis:
Nulla Stagiritæ culta Lycea vides:
Non hic depictis est porticus inclyta Medis,
Non pandit Babylon hic sua templa Magis:
Non Memphis, non se museis pluribus effert
Urbs ab Alexandro condita, clara libris:
Nulla Palatinus certamina jactat Apollo,
Nec nova Beryti poscere dona licet:
Sunt tamen hic nonnulla: DEUS nos respicit æque,
Nec fons Pegaseæ deficit omnis aquæ.
Sæpius haud species, sed res excellit, & usus,
Parvaque præ magnis utilitate valent.
Speramus meliora, DEUS meliora rogatus,
(Si non destituit cura laborque) dabit.
Hæc Musis est aula patens: intrate faventes,
Sultis, & hic DEUS est, Aonidesque docent.

VIII. Tempus electionis d. 11. Jan. An. cIɔ Iɔc LXXV.

SOL abiit, nunc ille redit, se cardine Brumæ
Vertit, & ad boreæ limina tendit iter.

Nu-

* *Admodum Rever. & Clariss. D. M. JACOBUS FABRICIUS, Eccles. S. Jacob. Pastor, A. C. 1611, 1612, &c.*

Nuper meta fuit: cum Sole revertitur annus,
Spes nova cum Phœbo se referente refert.
Hactenus & nostro Phœbus fugisse Lyceo
Visus, & his Musis lumina rara dedit.
Hujus & hæc meta est. Non hoc Helicone recedet
Longius, huic etiam reddit Apollo jubar.
Omnia conveniunt. O durent munera Phœbi,
Nec posthæc Musas ulla fatiget hyems!

IX. Professoribus Electis.

FOGELI, cui divinæ rationis acumen
Acrius, & sese tota Minerva dedit:
PLACCI, quo gaudet civilis vita magistro,
Oraque cui prudens Svada diserta polit:
ANKELMANNE, suas Oriens quem tradere lingvas,
Et claves sacri jussit habere libri:
Et, SIVERE, potens numeris, & mensor, & ala
Duplice qui terras, astraque celsa petis:
Gratulor ex animo, sociis exulto laborum
Talibus, ex votis optima quæque precor.
Vos homines fingetis, & hac ratione Promethei
Præ vestro minor est, inferiorque labor.
Cœlo direptos animis infunditis igneis,
Ut quoque sic homines sint simulacra DEI.
Auspiciis fortes faustis insistite, cœlo
Vos DEUS inspiret, vos regat, atque juvet.
Sint animi nobis concordes, promta voluntas,
Et junctæ vires, officiique decor.

Nulla timere decet nos monſtra, nec illa Chimæræ,
Degeneres animos arguit ille timor.
Magna ferant alii, noſtris mediocria Muſis
Optantur, virtus ambitione caret.
Sufficiat nobis, ſi quis ſic dixerit olim,
Unum de nobis ſi celebrare velit:
Hic quoque Muſarum ſtudiis, & recta docendo
Utilis, atque ſuo dignus honore fuit.

X. Auditoribus, Juventuti docendæ.

TE quoque compello, Muſis addicta Juventus,
Huc ades, hoc princeps eſt tua cauſa loco.
Depoſitum cœli, patriæ ſpes, una parentum
Cura, vigens annis, moribus apta bonis,
Huc ades, & duplices tendens ad ſidera palmas,
Teque para Muſis, & venerare DEUM.
Hic tua res agitur: tibi docta Minerva laborat,
Et ſeritur, credas, hic metiturque tibi.
Inſtrumenta DEI ſumus: hoc agitante caleſcunt
Pectora, de cœlo Spiritus ille venit.
Hic ſanctus labor eſt: hic, o dilecta, refingi
Debes, ut recte, quæ tibi mandat, agas.
Non plumbo pectus grave ſit (ſimulacra vetuſta
Hæc quoque reſpicias) aurea corda geras.
Non pugnes, non te cogi patiaris: habenis
Reprimitur, ſtimulis non eget acer eqvus,
Sufficit indicium: per ſe contingere metam
Gaudet, & emenſo vincit anhelus agro.

Nul-

Nullum certamen, nisi de virtute paranda
Te decet: Aonides mitia corda volunt.
Egregias ornat generosa modestia mentes,
Qui bonus est, primo præstat ubique gradu.
Et propera, nec te venturos differ in annos.
Sæpe ferunt parvæ plurima damna moræ.
Cum nimis est serum, ne deinde queraris, & optes
Præteritos iterum posse redire dies.
Cur etiam pergas alio velisque rotisque?
Hic est, si sapias, quod petis, ecce domi est.
De te suppleri debet Respublica, tradent
Lampada, qui cedent de statione sua.
Illustres meditare viros, horumque tropæa
Visa tot, haud segnem te tibi deesse sinant.

XI. Hospitibus.

HOSPITIBUS placeant hæc nostra faventibus opto,
Et sua cum nostris jungere vota velint.
Hactenus invidiæ locus haud est: caussaque justa
Non erit, à Musis livor iniqvus abest.
Hospitii vulgo laudatur tessera, Musis
Hospitii sacra est tessera, plena fide.

XII. Amicis Musarum.

FAUTORES, qui nos oculis vidistis amicis,
Et quorum Musæ restituuntur ope,
Quæ vos pro meritis maneant? Sibi maxima merces
Mens benefactorum conscia, grata DEO.

Veſtra tamen faſtis inſcribet nomina Phœbus,
Dignum laude virum non ſinet ille mori.
Tum pro Caſtalia, quæ nobis redditur, unda,
Veſtra redundanti nectare vita fluet.

XIII. *Inimicis Muſarum.*

OSORUM (ſi ſis) mala turba, quid imprecer, aut quid
(Muſarum non eſt velle nocere) precer?
Non juvat exemplis in te pugnare vetuſtis,
Marſya non iterum commemorandus erit.
Nec Phrygiæ rex ille, ſuas qui perdidit aures,
Nec multo ſeptum Gorgonis angue caput:
Optamus Lethen, & longa oblivia potes,
Præterea noſtri ne meminiſſe velis.
Aut, ſi diſpliceat, tibi detur Homerica lotus:
Mulcentem cupimus pectora loton edas.

XIV. *Votum Commune.*

O PATRIA, o Europa, tuo te ſangvine merſas,
In tua nunc gladios viſcera rurſus agis.
Pax olim facta eſt, & pax æterna: videte,
Nunc pacem in media quærere pace licet.
O infelices! Sed non læta omina turbo,
Muſa aufer queſtus, ad pia vota redi.
Humanæ gentis cuſtos, DEUS optime, rerum
Arbiter, & vindex, Aonidumque pater,
Ne noceant noſtris Mavortia tela Camœnis,
Effice, da placidis atque quiete frui:
Hanc urbem, has aras nobis defende, focosque:
Redde aliis pacem non minus, atque bona.

TE

Tu Deus es pacis, ſunt Muſæ pacis amantes,
Peſſima res bellum eſt, optima pax & amor.

XV. *Poſteritati.*

Poſteritas, ſis ſalva, precor: tua tempora vincant
Noſtra, tibi plures ſuppeditentur opes.
Omnia præteritis antiſtent, laurus ubique
Creſcat, & Aonia turgeat Albis aqua.
Sic adeo ſurgens ſeſe fortuna Lycei
Extulerit: nullo concutienda die.
Qui quaſi marmoreus pro tempore fingitur, eſto
Aureus, & cœlum pulſet Apollo lyra:
Si bona tanta licet poſt aurea ſecla potiri,
Si ſol hic annis pluribus aſtra reget.
Ne, Deus, hæc fiant aliter. Quod ſi omnia nobis
Non ſperare licet, tu potiora dabis.
At bona poſteritas, & noſtra propago, nepotes
Egregii, veterum vos meminiſſe decet.
Omnia principiis nituntur, & omnia ſumma
Ex imis ſurgunt, queis ſine nulla forent.

XVI. *Mihi.*

SI mihi fas de me ſubjungere paucula, voti
Pars prima eſt, aliqua poſſe placere DEO:
Altera pars alios, & poſſe juvare Camœnas,
Horum ſi quicquam contigit, ille dedit.

XVII. *Excusatio.*

SI verbis ornata nimis nonnulla videntur,
Si quis, quæ fiunt, improba vota putet,
Non minus his faveat. Laudantes, atque precantes
Concipiunt animis optima quæque suis,
Laudantesque optant. Petitur, quodcunque juvaret,
Quod datur, accipitur, consuliturque boni.
Optima deficiunt, semper meliora requiras:
Sunt bona, non omni quæ bonitate carent.

XVIII. *Alia.*

HÆC super ornato mihi sint cantata Lyceo,
His volui dictis optima cœpta sequi.
Non hæc dedeceant Musas: sint omina læta
Inter, & ÆTERNÆ SINT MONUMENTA REI.

PRO-

PROFESSORES
à restaurati Gymnasii tempore.

Martinus Fogelius, Hamburgensis, Phil. & Med. D. electus Prof. Logicæ & Metaphysicæ, 11. Ian. 1675. Introductus 25. Febr. dixit de melioris Logicæ constitutione. Obiit præmatura morte Vir desideratissimus eodem anno 21. Octobr. De hoc infra, Volumine tertio.

Vincentius Placcius, Hamburgensis, J. U. L. Philosophiæ Practicæ & Eloqv. Professor, electus una cum Fogelio. Introductus 11. Mart. habita oratione inaugurali de Sensu & Veritate dicti Aristotelici, quod ineptus sit juvenis auditor doctrinæ civilis. † cœlebs 1699. 6. Apr. De hoc infra. Vide etiam, si placet, quæ Theatro Anonymorum ac Pseudonymorum insignis hujus Viri nuper præfixi.

Eberhardus Anckelmannus, Hamburgensis, SS. Th. L. & ipse eodem tempore una cum Fogelio electus Professor Lingvæ Hebraicæ & Orientalium. Introductus 18. Mart. † itidem cœlebs 1703 nocte post Calendas Nov. De hoc consules Rev. D. Georgii Henr. Gœtzii, Superintendentis Lubecensis dignissimi elogia Philologorum quorundam Hebræorum p. 73. qui etiam Orationem B. Ankelmanni inauguralem de utilitate studii Hebraici ibidem subjunxit.

Henricus Siverus, Hamb. electus eodem tempore

1675. 11. Jan. Professor Mathematicarum disciplinarum, & introductus 7. April. de Mathematicarum disciplinarum utilitatibus disseruit. † 1691. 10. Jul. De hoc infra.

Johannes Vagetius, Geberstorfio Kœdingensis, in Archi-Episcopatu Bremensi Rector hactenus Verdensis Scholæ, in B. Fogelii locum delectus Professor Log. & Metaphys. 19. April. 1676. introductus 27. Jun. Orationem inauguralem habuit de Logicæ artis dignitate. † 12. Jun. 1691. De hoc infra.

Daniel Butnerus, Minda Westphalus, J. U. L. antea Professor Juris extraord. in Academia Erfurtensi. In locum B Kirstenii electus Professor Physices ac Poëseos 24. Octobr. 1678. introductus 12. Dec. dixit de dignitate studii Physici. † 1696. 9. Sept. De hoc infra.

Georgius Eliefer Edzardus, Hamburgensis, Esdræ Edzardi F. In B. Rudolphi Capelli locum electus Professor Græcæ lingvæ & Historiarum 18. Jun. 1685. introductus 9. Jul. Oratione inaugurali docuit, à Professore Græcæ lingvæ ut officio suo satisfaciat, Hebrææ etiam litteraturæ cognitionem requiri.

Gerhardus Meier, Hamburgensis, SS. Th. L. antea Adjunctus Facultatis Philosoph. Witeb. electus in locum B. Vagetii Professor Logicæ & Metaphysicæ 22. Dec. 1691, introductus 12. Ian. 1692. Disseruit Oratione inaugurali de causis potioribus quare nostris temporibus Logicæ, Metaphysicæ ac Pnev-

ma-

maticæ ſtudium recidat ad paucos. Valedixit Gymnaſio Patriæque 20. Oct. 1698. SS Th D. & vocatus Superintendens Quedlimburgenſis, atque inde interjecto trieno Bremenſis.

Caſpar Buſſingius, Neo-Cœnobio Mecklenburgenſis, hactenus in Regio Athenæo Bremenſi Subrector, electus eſt Profeſſor Mathematicarum diſciplinarum in B. Siveri locum 22. Dec. 1691. inrroductus 14. April. dixit de artificio volandi & alis artium. Gymnaſio valedixit circa Feſtum Paſchatos 1695. Vocatus Diaconus Eccleſiæ ad S. Mich. atque dehinc Paſtor templi Cathedralis. Vide ſupra p. 893. 904.

Henrico Kummerfeldio in Rev. Buſſingii locum electo 9. April. 1695. & conditionem amplecti recuſante,

Balthaſar Mentzerus, Rinthelenſis, celeberrimorum Theologorum cognominum filius ac nepos * vocatus eſt ProfeſſorMathematum 1695. menſe Sept. ex Academia Gieſſenſi, in qua per plures annos easdem diſciplinas docuerat Introductus 30. April. 1696. Inaugurali Oratione verba fecit de divinationibus Aſtrologicis.

Joh. Mullerus, Hamburgenſis, Phil. & Med. D. in B. Butneri locum delectus Profeſſor Phyſices ac Poëſeos 16. Dec. 1696. Introductus

Ii 5 men-

* De Patris Balthaſaris Menzeri vita ſcriptisque conſules Memorias Theologor. ab Henningo Wittenio collectas p. 1979. de Avi p. 223. ſeq.

menſe Ianuar. 1697. dixit de ſtudio Phyſices recte inſtituendo.

Sebaſtianus Edzardus, Hamb. Esdræ Edzardi F. hactenus Adjunctus Facultatis Philoſophicæ Witeberg. in Rev. D. Gerhardi Meieri locum electus Profeſſor Logicæ ac Metaphyſicæ 6. Mart. 1699. Introductus 30. Mart. de acceſſionibus Metaphyſicis diſſeruit.

Joh. Albertus Fabricius, Lipſienſis, SS. Theol. D. in locum B. Placcii electus communibus ſuffragiis Profeſſor Eloquentiæ ac Philoſophiæ Moralis 1699. 13. Jun. introductus 29. Jun. Oratione inaugurali dixit de eloquentia Epicteti Philoſophi. A. 1708. 5. Martii ab Ampliſſimis Scholarchis ipſi demandata ſimul eſt Rectura Scholæ Johanneæ.

Jo. Fridericus Wincklerus, Wertheimenſis, B. Joh. Winckleri Rev. Miniſterii Hamb. Senioris F. in locum B. Anckelmanni electus eſt Hebraicæ & aliarum Orientalium lingvarum Profeſſor, 18. Mart. 1704. introductus 15. Maji. Oratione inaugurali de libro Iſaaci Abarbenelis משמיע ישועה verba fecit.

ME-

MEMORIA
BIBLIOTHECÆ
PUBLICÆ JOHANNEÆ
HAMBURGENSIS,

STRUCTÆ
A. C. cIↄ Iↄc LI.

HAMBURGI,
EX OFFICINA JAC. REBENLINI.

B. F.

INCLYTÆ ET FLORENTISSIMÆ
REIPUBLICÆ HAMBURGENSIS
CONSULIBUS,
SYNDICIS,
SENATORIBUS,
XII-VIRIS,
CAMERARIIS,
NOBIL. MAGNIFIC. AMPLIS. PRUDENTISSIMISq;
VIRIS,
Optimæ Civitatis optimis Magistratibus, Literarum, & Literatorum
PATRONIS,
& nunc Librorum quoque:
HANC IPSORUM BIBLIOTHECÆ MEMORIAM,
Qua non res eget, quæ ex se æterna est,
sed Affectus, & Magnitudo Beneficii
utcunque declaratur,

Reverenter, merito,
& cum voto perpetuæ felicitatis
D. D.

MICH. KIRSTENIUS,
Siles.

D. ET MUS. S.

ΨΥΧΗΣ ΙΑΤΡΕΙΟΝ,

Sive

BIBLIOTHECA

Heic eſt.

Nemo, niſi Literatus aut Literar. amans
ingrediatur.

Qui Literati ſunt, quique Literas amant,
Iis omnibus patent Muſarum Fores,
ſive Cives fuant, ſive exteri.
Artium Patria eſt mundus. Docti inter
ſe omnes ſunt Cives.
Quicunque fueris ingreſſus,
Numen adora. Muſas venerare. Locum æſtima.
Utere libris, id eſt, aperi, lege, intellige.
In quo uſu
Manus tempera, exerce oculos, animum paſce.

BIBLIOTHECA EST.

Quæ ea bone Deus!
Apollinis, Muſarum, Palladis ſacrarium.
Humanitatis, Virtutum, Ingenii Officina.
Promptuarium Artium, Scientiarum, Lingvarum.
Ærarium Memoriæ, quod legendo non exhauritur.
Paradiſus Nobilium Animorum.
Locorum, Temporum, Rerum, Perſonarum, Gentium, adeoque
Totius Mundi quaſi quoddam Compendium.

Imo

Imo Divinitas quædam in Libris ſpirat.
Quam DEUS in animo noſtro: Ille in Libro exprimit.
Heic
Hominum Præſtantia cernitur: Gloria propagatur: Nomen perennat.
Vin' plura?
In maximis laudibus Regum, Principum, Rerump. ſemper fuit Librorum Cura.
Et
Ne Oſymanduas, Ptolemæos, Attalos, Auguſtos, Tiberios, Alexandriam, Athenas, Romam, Florentiam, Lutetiam, Lugdunum, Auguſtam, aliaque ſive antiqua, ſive nova nomina crepemus:
Quorum res aut ſublata eſt, aut nos heic non juvat.
Ecce Tibi, Hoſpes Muſis Amice,
S.P.Q. HAMBURGENSIS,
Quod ipſis, Liberis ipſorum, Colonis, Incolis, & omnibus Eruditorum Ordinibus,
Bonum, Felix, Fauſtumque ſit,
DEO, MUSISQVE,
Ædem renovatam, ampliatam, ornatam,
Et in ea
BIBLIOTHECAM,
Ex ſuis, & Cl. F. Lindenbrogii Libris, Legato acceptis conſtitutam,

Pia


Pia Nuncupatione
Dicarunt, dedicarunt.
A. C. cIↄ Iↄc LI.
Ampliss. Scholarchis,

D. GEORG. v. HOLTEN.
D. JO. SCHLEBUSCH. J. U. L.
D. HERMAN. RENTZEL.
D. PETR. LUTKEN. J. U. L.

His, ſive Legibus, ſive Conditionibus,
ſive Cauſis:
Ut Pietati ſanctiſſimæqueReligioni ſatisfiat:
Ut Reſpubl. Literar. Gloria magis floreat, Juventusque melius diſcat:
Ut ingenia eorum, qui callent literas, expleantur:
Qui amant, accendantur:
Ut exemplum habeat, & imitetur Poſteritas.

DEUS OPT. MAX. SAPIENTISSIME,
Tibi conſecratur: Tua hæc Providentia eſt:
Tu volens propitius S.P.Q. Hamburgenſi:
Tu porro piarum voluntatum, optimorumque
Operum Effector:
Tu Literarum, Literatorum, eisque Faventium
Soſpitator, Conſervatorque ſemper eſto.
Ita velis, jubeas, faxis,
Qui ſapis, potes, Efficis omnia,
Omnia Solus.

Apollo, ipſe præi, Ipſe poſtes tene,
Muſæ, quid tacetis?
Nulla ſit ſine Carmine Dedicatio.



EPOS.

HÆc illa est doctæ sedes optata Minervæ,
Hæc Phœbo dilecta domus. Sua templa Camœnæ
Accipiunt, & diva sacris præfecta verendis,
Et Themis, & tortos baculo quæ sustinet angves.
QUID vero geminos celebrat Bœotia colles?
Quidque inspiratas arcano numine lymphas?
Quid jactant propria se Pallade Cecropis arces?
Mercurio quid Cyllene? quid Apolline Cirrha?
Quid Musis Helicon? Helicon hîc alter & alter
Pegaseis fons manat aquis. Hamburga beatos
Hospitio divos, felix Hamburga recepit:
Consurgit Boreum florens Parnassus ad Albim.
STAT Musis sacrata ædes, turritus Apollo
Eminet. Hæc virides exornant limina lauri,
Has postes oleæ lambunt: hoc aurea pendent
Plectra tholo, facilesque lyræ, citharæque sonantes
Cantibus: hic sacri coguntur in horrea libri,
Pieridum famulante manu, Phœboque juvante,
Palladiæ stipantur opes. Ut commoda servit
Aula Deis, geminoque patent Musea paratu,
Muneribus discreta suis! Hîc ecce loquentes,

En illic muto cupientibus ore magistri
Erudiunt animos. Recte conspirat utrumque:
Hic præcepta sonant, illic exempla videntur,
.: MAJESTAS immensa loci est.* Descendit Olympus!
Ecce suis, huc ecce suis descendit Olympus
Ignibus, & mavult aliis splendere figuris,
Et radios miscere libris. En astra renident
Dispositis affixa locis, distinctaque justis
Molibus! Hic etiam summum conscendit ad axem
Ursa minor, major spacium complectitur ingens:
Regalique nitet melius diademate Cepheus,
Et Conjux inversa sedet, stellaque superbit
Insolita, quæ nunc cœlum fugitiva reliquit,
Par olim Soli, si non fulsisset in alto.
Hic juvat Aonides stellatis Pegasus alis,
Et claris domino volucris Phœbeia pennis
Applaudit, gemmaque chelys lucente coruscat,
Quæ silvas, & saxa trahat; Virgoque recumbit
Infima, virginibus Musis gratissima virgo.
Hic aries caput attollit, Phœbumque Leoni
Invidet, & Taurus, Veneris pertæsus iniquæ,
Calliopen vellet, regnatricemque Thaliam,
Et reliquas cuperent restantia signa sorores,
Mercurio remanente tamen. Miratur Apollo,
Pierides mirantur opus, Pallasque triumphat:
Et picturati laudant laquearia cœli,

* *Lacunar. in quo Sidera sunt depicta.*

Et ſtellis gratantur: io, bona ſidera dicunt,
Hoc veſtro gaudete polo, Muſasque propinquis
Spargite luminibus, mentesque afflate dicatas,
Et lucem arcanam doctis immittite chartis.

NEC vero tantum ſummus depingitur æther:
Naturæ ſimulacra patent totius, * & Orbis
Quattuor hic extant fabricæ, Non ſcilicet uno
Ædificata modo domus eſt vaſtiſſima Mundi,
Quam DEUS omnipotens uno conſtruxit. † Habemus
Effigiem rerum, quam cœlo dedita Memphis
Prætulit. Alatos angues Saturnus in illa,
Juppiter inſignes aquilas, Mars igneus acres,
Et Titan exercet equos, Cytheréa columbas,
Mercurius proprias volucres, Diana puellas.
Omnia concordant. ** Magni ſtructura magiſtri
Miſcet inæqales vario diſcrimine calles,
Et labyrinthéos, centris diſtantibus, orbes.
†† Tycho, valens animo, terræ Solique potenti
Dividit imperium. Solem vaga quinque ſeqvuntur
Sidera: Sol ambit terram, Phœbeque manentem
In medio, nullaque aptam ratione moveri,
*** At, vulgo ridenda docens, Copernicus acer,
Stellarum in circos terram rapit, atque citato

Ire

* *IV. Hypotheſes, ſive Syſtemata Mundi.*
† *Ægyptium.* ** *Ptolem.*
†† *Tychonis Brahei.* *** *Copernici.*

Ire jubet curſu, qua quondam Cynthius ibat.
Sol hic cor mundi eſt: Sol, pars fortiſſima rerum,
Unde calor, lumenque fluit, motusque cientur,
Stant pariter, lenteque faces gradiuntur in alto,
Quæ nunc innumeris ſcintillant undique flammis,
Divino monſtrante vitro, quod nulla priorum
Ars æquare poteſt. Et cætera ſidera formas
Accepêre ſuas. Oblongo corpore ſemper,
Et ſciſſo interdum Saturnus obambulat, & Mars
Igniti montis ſpecie flagrante rubeſcit.
Accreſſit de Sole Venus, lumenque viciſſim
Amittit: Venerem ſequitur Cyllenius ignis.
At quæ jam facies Lunæ eſt? † Spectate figuris
In propriis montes, valles, rura, æquora, terras,
Et maculas delete animo. * Quæ corpora ſole
In medio volitent, clarum obſcurantia lumen,
Artifices pinxêre manus. Spectacula nobis
Cœleſtes adeo pingunt cœleſtia mentes,
Et totum voluêre ſimul deſcribere Mundum,
Quem totum capiunt animo. Qua JUNGIUS, & qua
TASSIUS excellit. †† Ne porro tempora deſint,
Machina currentes monſtrat ſubtiliter horas.
**Deſignat ventos itidem mirabilis index.
TALIA ſunt igitur picti compendia Mundi.
Hic ingens eſt ille liber, quo diſcere debet,
Qui ſcriptis aliis libros implere laborat.

 Hic

† *Macula Luna ſ. Schemata ejusd.* * *Macul. Sol. ſ. Schemat.*
†† *Horologium.* ** *Index ventorum.*

Hic ſumit ſibi quisque ſuum: niſi, (cernite* plura,)
Quod capit à ſummo divinum numine librum,
a) Vir, qui ſacratam medius conſiſtit ad aram,
b) En leges gladio tutas, lauruque virentes
Juſtitiæ patronus habet: c) cordatus Hygejæ
Myſta bonos tractat cultros, ſuccosque ſalubres.
d) Huic adſtat rerum cauſſas qui quærit, & ortus:
e) Ad dextram præfert auratæ dona coronæ,
Qui regna, & propriis informat moribus urbes.
** Unanimes reſident, & agunt ſe digna ſorores.
f) Prima oculos oculis addit, g) numerosque ſecunda
Innumeros numerat, h) menſurantesque figuras
Tertia deſcribit, decircinat ultima i) Mundum.
*** Qui vero, qui ſunt tam claris frontibus illi
Quattuor, & toto ſpirantes corpore cœlum?
Hic TYCHO, PTOLEMÆUS is eſt, COPERNICUS illic
Viſitur, & juxta ſtudiis defixior HERMES.
Hic ubi dependent arcani lemmata diſci.
† At DEUS excelſo defundit ab æthere lucem
Æternam, per quam capiunt hæc omnia vitam,
Humani lucent animi, cernendaque cernunt.
Mens

* *Imagines Profeſſion.* a) *Theolog.* b) *Juriſconſ.* c) *Medic.* d) *Phyſic.* e) *Politic.* ** *Diſcipl. Mathem.* f) *Optic.* g) *Arithm.* h) *Geometr.* i) *Aſtronom.* *** *Hypotheſ. Autores.* † יהוה

Mens hominis ſpeculum eſt, in quo divina reflecti
Lux amat,& lumen gignit: vel quale * Minerva
Hic tenet. Hic tandem fulgens umbone Minerva
Præſidet, & totam radios emittit in aulam.
O DIVUM ſacra dona ** libri! Nil ſanctius unquam
Nil melius cœlo noſtros defluxit ad uſus!
Deſcripſit DEUS ipſe ſua, deſcripta reliquit,
Quæ voluit nos ſcire manu. DEUS ipſe notavit
Literulas, librosque dedit. Solertia noſtri
Non hæc ingenii eſt. Vincunt humana libelli.
O quisquis ſeptem Mundi ſpectacula laudas,
Omiſſos adjunge libros. Miracula chartæ,
Non lignum, non marmor, habent. Germania laudum
Plus tulit, & merita eſt, quam qui delubra Dianæ,
Qui Pharias turres, Rhodii qui membra Coloſſi,
Qui miras vacuo ſuſpendit in aëre ſilvas,
Aut omnes alii. Princeps Germania libros
Ære premit, magnos manuum lucrata labores.
Macte tua virtute parens. Quid, livide, muſſas?
Vincimus inventis! Tradat tibi Sina, quod efferſ,
Tradat opus: *** quiposque, (velis ſi jungere,) jungas,
Quipos, quos habuit priſcis incognitus orbis:

* *Statua Palladis.* ** *Libri.* *** *Vid. Joſeph. de Acoſt. hiſtor. Americ. lib. 6. cap. 8.*

Nobis nostra manent. Labor est incidere saxa,
Ligna labor variare notis, variare metalla:
Vile leves foliis, cerisque inducere sulcos.
Atque rudis philuræ mos est: clarissima Memphis
Niliacas melius didicit contexere biblos.
Apta papyrus erat: membranæ clarior usus:
Commodior reliquis præcellit lintea chartis.
Addidit his rebus summam Germania laudem.
O Pæan! o Aonides! mysteria rerum
Hic congesta jacent. Hic se natura recondit.
His omnis conclusa latet sapientia velis.
Hic conservantur divina, humanaque cuncta.
Hic, quicquid scitur, cumulum confluxit in unum.
Hic se depingunt homines. Quid tentat Apelles?
Quid Zeuxis varia miscet ratione colores?
Mens prope totus homo est. Hic spirant vivida signa.
Est hominis pictura liber. Sed corporis umbræ,
Adduntur reliquis, Musis laudantibus, umbræ.
Quæ moles hæc est, & quæ nos copia lassat?
Omnia conjungunt hic sese sæcula: gentes
Conveniunt omnes, & tot discrimina lingvæ.
Huc sua Chaldæus, sua fert huc accola Nili,
*Pingere, quam fari melior: Persæque perorant,
Prudentesque sonant Arabes. Huc Græcia totis
Ag-

* *Respic. ad hieroglyph.*

Agminibus, Latiumque ſimul commune migravit,
Cujus nunc docti, cum Muſis, ore loqvuntur.
Hic Itali, Gallique agiles, miſtique Britanni,
Belgæque Hiſpanique habitant, Lechique nepotes
Et Turcæ, & tandem Garamantes forſan, & Indi,
Et quorum porro novit cognomina Phœbus.
Hi retinent poſt fata ſuam, poſt funera vitam:
Utque alibi vivant, magis hic tamen. Hic ſibi plaudunt,
Et ſua ſecretis agitant commercia curis.
O doctos ſenſus caſtæ confundite mentes!
O inter libros placidi colludite manes!
O ſubter ſtellis animi ſpirate ſereni!
Si ſic fata ſinunt. Quod ſi viventibus olim,
Quod ſi certatum eſt, habeant certamina finem.
Pax Phœbo grata eſt, & alit concordia Muſas.
Non locus hic odiis: non hic ſunt arma malignis.
Livor abi, diræque ſacris diſcedite peſtes
Sedibus. His foribus Pallas præfixit olivam:
Hic Charites regnant, hic exercentur amores.
MUSÆ, HAMBURGENSES MUSÆ, dum præter opimas
Fœcundæ telluris opes, URBS OPTIMA veſtras
Sic quoque dignatur: dum vobis aurea templa
Dedicat, inſignes numeros adjungite faſtis,
Et propter numeros virides appingite laurus,

Atque Hamum, atque Albis ripas implete canendo.
Phœbe pater ramis ſublimibus elige cedrum
Aut manda lapidi famæ monumenta perennis,
Ut legat, & lectum ventura ſequatur ut ætas:
TOTUM MERCURIUM FELIX HAMBURGA RECEPIT,
ET CUM MERCURIO PANGENTES FOEDERA MUSAS,

EPIGRAMMATA

I. In Hamburgam.

Sic ſemper bona fata velint! HAMBURGA beatis
Nunc quantum flores amplificata bonis!
Servit terra tibi, naves famulantur in undis;
Mille modis largas copia fundit opes.
Nunc quoque Muſæis alias augere laboras:
Nunc cumulas plures, munera ſacra, libros.
Ecce NEPOS, Hamburga, tibi pingantur ATLANTIS,
Et plenas habeat dives imago manus:
Hæc anni fructus, & terræ dona recluſæ,
Illa libros, chartas, plectra, lyraſque ferat.
Sic perfecta tuæ fuerint emblemata formæ,
Ut tamen adſcribas: UTRAQUE DONA PLACENT.

II. Bibliotheca.

Nata libris, paritura libros, dans munera doctis,
Accipiens iterum, BILIOTHECA vocor.

III. In eandem.

Hortus hic eſt Phœbi. Procul, o procul ite profani!
Non hic obſcœni eſt falx metuenda DEI:
Intentat validam Pallas venientibus haſtam,
Defendunt ſanctum fortia ſigna locum.
Hortus hic eſt Phœbi. Non lumina paſcere tantum
Hic labor eſt, quanquam lumina multa juvent:
Divinos animos, & ſanctas paſcite mentes.
Hic aliis alius floribus halat odor.
Hortus hic eſt Phœbi. Varie diſtingvitur hortus:
Urtica eſt pulchris hic quoque miſta roſis.
Non aliqua eſt, toto quæ ſit ſine numine, planta;
Non, omni careat qui bonitate, liber.

IV. Autoribus.

Qui facitis libros, qui conſervatis, Alumni
Palladis, & Clario pectora grata DEO;
O ubi vos tandem ſcribi debetis, & iſte,
Qui veſtra accipiat nomina, quis locus eſt?
Eſt Cœlum, Mundusque omnis, ſcribetque per Orbem
Mille volans calamis gloria, mille ſtylis.

V. Hoſpitibus.

O Hoſpes ſalve, dicit tibi docta Minerva;
Ingredere, & ſedes has venerare ſacras.

Si vis hic oculis uti: licet, utere visu.
Non oculi lædunt, sit modo casta manus.
Si munus donas aptum, studiosa reponam:
Stabit cum nostris hic tua fama libris.
Si librum facis ipse, liber sit Apolline dignus.
Vana Cloacinæ scripta dicate Deæ.

VI. Posteritati.

O qui vivetis post tempora longa nepotes,
Si nasci plures postera fata volent;
Si flagrabit adhuc discendi sana cupido,
Si vos librorum sollicitabit amor:
Dicite, divino commoti dicite sensu:
Quam Patrum est magnus, quam sacer ille labor!
O salvete boni, cineres salvete beati,
A quibus huic ævo, quod sapit, omne venit!
Æternas grates, æternas reddere laudes
Nos decet, & scriptis significare libris,
Per quos hæc nata est, per quos hæc aucta subinde,
Accrevit multis BIBLIOTHECA modis:
Sed merito primis primi tribuuntur honores:
Principium princeps nomen ubique manet.

Ex B. D.

RUDOLPHI CAPELLI,

Prof. in Gymnasio Hamburgensis

Præfatione

Ad Syntagma Lectionum Bibliothecariarum,

editum Hamburg. 1682. 12.

Ich würde / so fortfahrend / Historiam Gymnasii Hamburgensis zu schreiben anfangen / welches doch meine Meinung nicht ist / so wenig als Historiam Hamburgensem Bibliothecariam vorzustellen / oder der Bibliothecæ Cathedralis und anderer bey den Kirchen / auch Privatarum zu gedencken. Auch nicht der ersten und ältesten Bibliothecæ Anscharianæ, deren Gvaldo und Rembertus in seiner Lebens-Beschreibung Meldung gethan / oder sonst aus Crantzio und andern etwas anzuführen.

Wenn ich die Hamburgische öffentliche / der Stadt und des Gymnasiii Bibliothec anschaue / dancke ich GOtt für eine so heilsame Stifftung. Sie ist A. 1650. (wie ich ein Studiosus Gymnasii war) angeordnet / wiewol sie schon A. 49 ihren Anfang nahm / vier Jahr nach H. D. Lindebrog S. G. Absterben. GOtt gebe / daß sie floriren / sich mercklich verbessern / und biß an den letzten Tag der Welt bestehen möge.

Sie ist wohl eingerichtet / und mit guten Gesetzen und Verordnungen gezieret. Sie bestehet bißher aus donariis & legatis; Bergenianis * Lindebro-

* B. Consulis & primi Bibliothecæ hujus condendæ Auctoris

brogianis, Tassianis, Jungianis, Slegelianis, Sellianis, und andern. Lucas Holstenius hat ihr auch 29. volumina manuscripta im Testament vermachet / welche von Rom ihr geworden seyn. Die Bibliotheca Gymnasii, welche vormahlen in acht Repositoriis bestanden / und die / welche Primæ Classis Scholæ Johanneæ war / ist A. C. 1649. auch hinauff gebracht. Das hochlöbliche Ærarium Publicum und dessen Acht-Männer / haben zuweilen / bey Gelegenheit / seine Stücke erkauffen / und der Bibliothec einverleiben lassen. Unterschiedene Testamentorum Executores, Gilden und Zünffte / haben auf vornehmer Leute Zusprechen / gute Stücke darauff verehret. Alles / diese Bibliothec zu vergrössern / zu verbessern und auszuzieren.

Andere in Hamburg / auch unterschiedene fremde Personen haben ihre Freygebigkeit auch mercklich / die Bibliothec zu verbessern / blicken lassen: Wodurch sie endlich so weit gebracht ist / daß / da ich mit dem H. Bibliothecario im 1680. Jahre / ** und dessen Monat November einen geschwinden Uberschlag gema-

ris *Sebastiani à Bergen*, & qui viduam ab eo relictam duxit *D. Friderici Lindenbrogii*, JCti & Polyhistoris: *Pauli Marqu. Schlegelii*, Poliatri, *Jo. Adolphi Tassii* & *Joachimi Jungii*, Professorum, & *Thomæ Sellii*, Cantoris.

** Ab eo tempore, ut minora jam incrementa taceam, accesserunt thesauro huic librario Bibliothecæ duæ insignes integræ, una Historicis præcipue libris abundans ex legato illustris Viri *Henrici Langenbecii*, Cancellarii Hanoverani, aliquoties mille voluminum, altera voluminum plus quam quater mille, ex legato V. C. *Vincentii Placcii* τῦ μακαρίτυ.

machet habe/ sich ohngefehr 7500. volumina und fasciculi befunden haben/ in allerhand Wissenschafften/ Künsten und Geschicklichkeiten: worunter manuscripti und annotationibus & observationibus aucti & ornati codices gewesen seyn/ welche in sonderbahrer Beobachtung billich gehalten werden/ und den manuscriptis æquipolliren.

Sie begreifft in sich/ besitzet und bewahret/ gute und erlesene Rariora, Antiquitatis, Naturæ & Artis, Domestica & Exotica: schöne Instrumenta Mathemathica & Medica, Anatomica, Chirurgica, Sceleta; und mehr andere/ eine Bibliothec zierende nützliche Dinge. Des wohlausgezierten grossen Saals/ und dessen Einrichtung/ wie auch des hemisphærii uranici borealis: der Repositoriorum, apertorum, fenestratorum & cancellatorum, auch mehrerer Umstände nicht zu gedencken.

Es hat diese Publica Bibliotheca, innerhalb 33. Jahren/ so weit sie rechnet/ vier Bibliothecarios gehabt. Der vierdte noch lebende ist H. David Schelhammer, ein Hamburger/ eines wohlverdienten Vaters Sohn/ der ihm die Bibliothec fleißig lässet angelegen seyn/ dabey ihn GOtt stärcken und lange erhalten wolle.

Es hieß in den Legibus unsers numehr sibentzig jährigen Gymnasii, vor A. C. 1650. und Auffrichtung der öffentlichen gemeinen Stadt-Bibliothec, wie das Gymnasium noch seine absonderliche kleine Bibliothec hatte/ wie folget: Rector Gymnasii,

Bi-

Bibliothecæ sedulam curam agito, illius claves, una cum inventario asservato, nemini Bibliothecæ copiam absens facito, nec cuiquam, nisi notis & spectatæ fidei hominibus, iisque sub chirographi fide caventibus, libri inde asportandi usum permittito, præterea peculiarem indicem habeto, inque eo illorum, qui unum, pluresve libros utendos acceperint, quin & librórum nomina consignato, iisque restitutis expungito, neque cuiquam, ad summum, ultra mensem, librum relinquito. Sedulo etiam caveto, ne qui librorum, vel propter humiditatem, vel tineas, aut aliis de causis corrumpantur, sed mature libros purgato.

Aber die letzte ordinatio bibliothecæ publicæ, und die instruction des beeidigten Bibliothecarii übertrifft die erste/ gleich/wie die publica bibliotheca, die vorige hart verschlossene/absonderliche und selten eröffnete. Darinn ist enthalten: daß alle verhandene Bücher/ und was sonst der Bibliothec eigenthümlich gehöret/ soll in richtige Ordnung gebracht/ der Bücher Einhalt auf den Rücken verzeichnet/ sie ordentlich auffgesetzet/ und in Catalogos doppelter Art/ und so wol ordine literarum als materiarum referiret werden. Die setzet/ daß nichts von der Bibliothec solle ausgeliehen oder abgetragen werden. Solches solle nicht vergönnet seyn/ und auf keinerley Weise geschehen. Doch möge ein jeder in loco Bibliothecæ, schicklich/ auch täglich Vormittage von 10. biß 12/ Nachmittage von 2. biß 4/ und also 4. Stunden lang/ Sonn- und Fest-Tage ausgenom-

nommen/sich der Bibliothec bedienen/ welche unvermindert und unbeschädiget bleiben solle.

Es wird auch dem Bibliothecario und seinen Successoren darinn befohlen/daß er den Catalogum der freywilligen Geber und deren Gaben richtig halten/ auch jährlich die Gebrechen / und was er der Bibliothec heilsam erachtet / den Herren Scholarchis gebührend anzeigen solle. Er soll auch selbst der Bibliothec Bestes/ nach allem Vermögen/das GOtt darreichet/ ihm anbefohlen seyn lassen und befordern/ sich daran weder Lieb noch Leid hindern lassen/sondern alles verrichten / was einem getreuen Bibliothecario gebühret und wohl anstehet/ und worzu er eydlich verbunden ist. Und solche Ordnung solle nach Gelegenheit der Zeit und Noth erheischen / künfftig nechst göttlicher Gnade corrigiret / gemehret und gebessert werden.

Wann ich die vielen Unglücke/ die guten Bibliotheken begegnet seyn und begegnen können/ (cuivis accidere potest quod cuiquam, ab aliis exemplum capiamus, alieni casus nos cautos reddant.) betrachte / wünsche ich hertzlich/ hoffe zu GOTT/ und bitte ihn hertzinniglich/ er wolle diese schöne angefangene Bibliothec erhalten / davon ich noch neulich an einem vornehmen Mann und Freund schreibend / mich dieser Worte gebrauchet habe. Ad Publicam Hamburgensem Bibliothecam, quæ Gymnasio nostro incumbit, augendam & locupletandam, inclinet DEUS animos hic & alibi, non ἀτέχνων modo, ut scribis, sed aliorum

quo-

quoque ut qui possunt, velint, & qui volunt, nullis deterreantur obstaculis, sed iis remotis victisque in sententia sua persistentes, triumphent. Ita mecum vovent omnes qui locum æstimant, utuntur libris, & hujus Literariæ dotis, Nobilissimæ Hamburgensis Reipublicæ, indolem & naturam amant & introspiciunt. Sit maneatque: ψυχῆς ἰατρεῖον. Sit *medica animi officina*, sit pietatis & honestatis sacrarium, & refertissimum Pietatis & Eruditionis promtuarium. Sit individuum & indivulsum, omnis ævi scriptorum contubernium, armamentarium literarium, Gymnasio quoque perutile Publico, contra omnia vitia, errores cunctos, omnemque inscitiam & barbariem. Id JESUS audiat, approbet & jubeat!

SERI-

SERIES BIBLIOTHECARIORUM

Bibliothecæ Publicæ Johanneæ Hamburgenſis.

Georgius Schumacherus, Hamb. 1651.
Mathematicus & Geodæta non è multis. † 1657. 21. Octobr. ætat. 41.

Johannes Blomius, Hamb. 1657.
CumMelancholia per aliquot annos colluctatus, Vir doctus cæteroqui & ſcriptis editis clarus, in Bibliotheca mortem ſibi conſcivit A. 1672. 12. April. Repertus eſt tertio die poſt complicatis manibus, & genibus flexis, relictaque ſcheda, cui manu ſua hæc verba inſcripſerat: Weil ich von böſen Leuten übel nachgeredet worden / als fahre ich dahin / der HErr JEſus / der mich erlöſet hat / wolle mir und meiner armen Seelen gnädig ſeyn. - - Gute Nacht. GOtt wolle mir und ihnen gnädig ſeyn / Amen.

Franciſcus Hoppe, Med. D. 1672. menſe Jun.
† 1679. 18. Auguſti.

David Schelhammer 1679.
† 1693.

Petrus Surland, J. U. D. 1693. 2. Nov.
Frater B. Julii Surlandi, Conſulis: Patre Johanne Surlando, Paſtore ad S. Michaelis.

SERIES RECTORUM Scholæ * Johanneæ Hamburgensis.

M. Godfridus Hermelates Theophilus, ab A. 1529. Obiit A. 1537. die S. Thomæ, rude non diu ante donatus. Hujus mentio facta est supra p. 5. 50. 101. 918.

M. Matthæus Delius, Hamb. Theophilo Adjunctus primum, deinde post mortem successor, una cum uxore & liberis aliquot extinctus est peste 1565. 30. Sept. hujus quoque mentio fuit p. 5. 49. 919. Vide & Jo. Molleri part. 3. introduct. ad Hist. litterar. Chersonesi Cimbricæ pag. 608. seq.

M. Martinus Meklenburg, è Subrectore sive Præceptore Secundæ Classis, electus in Curia ab Amplissimo Senatu die Veneris qui præcessit Calendas Januar. Anni 1566. Introductus die Conversionis Pauli, † mense Martio 1574.

M. Wernerus Rolfinck, Westphalus, è Conrectore Re-

* Schola ad S. Mariæ, sive Cathedrali, quam S. Anscharius fundaverat, & Schola S. Nicolai Novæ urbis, quæ A. 1281. cœpta erat institui, jam neglectis & jacentibus, A. 1529. nova Schola S. Johannis ab Amplissimo Senatu, svadente B. D. Joh. Bugenhagio condita est in ea Monasterii Dominicanorum parte ubi antea Refectorium fuerat, ut ex Stephani Kempe Historia MS. abrogationis sacrorum Pontificiorum notavit Lambecius lib. 2. rerum Hamb. p. 219.

Rector A. 1575. Avus celeberrimi Medici cognominis,** & vir ipse doctissimus, obiit A. 1590. 3. Octobr.

M. Paulus Sperling, Eckendorfensis Holsatus, electus est A. 1591. 9. Febr. introductus 28. Jun. Sed cum A. 1613. Eloquentiam simul in Gymnasio docere jussus esset, ut supra p. 1073. retuli, Rectura se A. 1619. abdicavit. † 1633. Iun.

M. Zacharias Schefterus, Cygneus, Gymnasii simul & Scholæ Rector introductus 13. Jul. 1620. Vide supra p. 1073. † 1626. 5. Mart.

M. Johannes Huswedelius, Hamburg. introductus Gymnasii & Scholæ Rector A. 1627. 24. Maji, remigravit Rostochium A. 1628. ut loco paullo ante memorato annotavi. † 1652. 22. Octobr. ætat. 75.

Joachimus Jungius, Lubecensis, Philosophiæ & Med. D. Gymnasii & Scholæ Rector ab A. 1629. 19. Mart. ad A. 1640. 16. Jul. quo tempore Recturam Scholæ deposuit. † 1657. 23. Sept. ætat. 70.

M. Daniel Arnoldi, Bergerdorfiensis in agro Hamburgensi, è Conrectore Rector A. 1641. electus obiit A. 1651. 18. Jun. De hoc infra.

M. Petrus Westhusius, Hamb. hactenus Itzehoensis

** De Medico Jenensi Gvernero Rolefinckio consulendus Henningus Witte in Memoriis Medicorum p. 264. licet præter rem ibidem traditur patrem illius fuisse Professorem in Gymnasio Hamb.

sis Scholæ ab A. 1649. Rector electus 1651. 9. Sept. † 1660. 24. Nov. ætat. 48.

M. Henricus Dassovius, Hamburgensis. Scholæ Spirensis ab A. 1652. Conrector & Comitatus Palæo-Leiningensis ab A. 1656. hactenus Superintendens, electus est Rector Hamb. Scholæ A. 1661. 18. April. † 1680. 29. Jul. ætatis 53. De hoc infra, Volumine tertio.

Godfridus Vogtius, Delitia-Misnicus, SS. Theol. L. vocatus Gustrovio, ubi Scholæ Rectorem hactenus gesserat, & introductus A. 1681. 10. Febr. Oratione auspicali dixit de impietate Scholarum nostri seculi in gente Christiana, † 1682. 7. Jul. æt. 39. Vide de erudito hoc Viro Friderici Thomæ Analecta Gustroviensia, parte 2. Biographica p. 69. seq. & quæ de ejus vita ac scriptis nuper ejus Thysiasteriologiæ præmisi. Emendabis tamen quod ex calami errore inter inedita ibi refertur liber sæpius jam exscriptus typis & 300. narrationes atque observationes amœnas de rebus naturalibus complexus, cui Autor titulum fecit den Physicalischen Zeit-Vertreiber. 12mo.

Johannes Schultze, Gardelegiensis, Saldriæ primum Brandeburgi, deinde Patriæ Scholæ Rector, hinc Conrector Scholæ Senatoriæ in civitate Luneburgensi, Rector Hamb. electus 14. Oct. 1682. introductus à. B. D. David Klugio, Rev. Ministerii Seniore & Pa-

Paſtore ad S. Cath. 11. Januar. 1683. Oratio D. Klugii fuit de requiſitis boni Rectoris. Schultzii, de bonæ mentis præſidiis. Rude donatus 1708. 5. Martii, † 1709. 26. Jan. De hoc Viro per 25. annos bene de juventute Hamburgenſi promerito, infra.

Joh. Albertus Fabricius, Lipſienſis, SS. Theol. D. & in Gymnaſio Philoſ. Practicæ & Eloquentiæ Profeſſor, Socero optimo ob labefactam ex apoplexia valetudinem rude donato Rector electus A. 1708. 5. Martii, introductusque 3. Maj. à Rev. Miniſterii Seniore D. Joh. Volcmaro, Paſtore ad S. Catharinæ, cum ille de fulcimentis Reip. verba feciſſet, dixit Oratione inaugurali de cauſſis contemtus Scholarum publicarum.

CONRECTORES.

Johannes Gartze, ab A. 1529. qui Paſtor Eccleſiæ S. Petri electus eſt A. 1534. ut dixi ſupra p. 862. Ecquis illi in hoc officio ſucceſſerit, adhuc requiro. Equidem *M. Joach. Weſtphalus* hoc loco Conrectorum Catalogo inſeritur à B. Davide Sculteto in den von der Schulen zur Kirchen beföderten Prediger p. 10. Sed eum in Secunda Claſſe per aliquod tempus docuiſſe reperio in Jodoci Methodii Oratione de vita Weſtphali, quam dedi ſupra pag. 938.

M. Johannes Frederus, Senior, Coslino-Pomera-

 nus

nus, ab A. 1537. ad 1540. quo cœpit gerere Lectorem Secundarium in Templo Cathedrali, ut supra p. 902. notavi.

M. Joh. Pistorius, sive Becker / hunc electum A. 1540. pestis eadem quæ Delium, Rectorem abstulit 1565. 30. Sept. Vide supra p. 919.

M. Martinus Mecklenburg, antequam Rector A. 1566. eligeretur, non Conrector fuit, ut traditum V. C. Joanni Mollero Parte 3. in Histor. litterariam Chersonesi Cimbricæ p. 609. sed in Secunda Classe docuit, ut à laudato Sculteto recte animadversum.

M. Wernerus Rolfinck, Westphalus, electus sub initium Anni 1566. Recturam Scholæ accepit A. 1575. ut jam suo loco memoravi.

M. Henningus Cunradinus, Hamb. electus A. 1575. circa Johannis Fest. ob valetudinem affectam abdicavit se munere & non diu post obiit A. 1584. De hujus poëmatibus, quia pleraq; viros inclytos Hamburgenses persequuntur, dicam nonnulla infra, cum hunc elenchum absolvero.

M. Gregorius Trajectinus sive Utrecht / Johannis Trajectini, Diac. S. Petri F. Rostochio vocatus est, & Conrectoris partibus fungi cœpit A. 1584 26. Nov. Extinctus est peste A. 1605.

M. Joh. Haswedelius, Hamb. electus A. 1605. Discessit Rostochium A. 1615. ut ibi Professorem Lingvæ Græcæ & Philosophiæ Practicæ ageret. Deinde rediit ad capessendam

dam Gymnasii Scholæque Recturam, ut suo loco notavi.

M. Georgius Fabricius, B. Jacobi Fabricii, Pastoris ad S. Jacobi F. introductus 1615. 29. Nov. discessit Hamburgo A. 1620. futurus Pastor primum Wesselenburensis, deinde Poppenbuttelensis in tractu Holsatiæ Eiderstadiensi, ubi obiit A. 1631.

M. Johannes Starckius, Luneburgensis, introductus A. 1620. 26. Octob. † 1623. Auctor Thesauri Epistolaris, locorum & formularum atque institutionis de stylo & isagoges de ratione scribendi Epistolas, qui libri propter utilitatem quam studiosis lat. lingvæ possunt afferre plus simplici vice recusi sunt.

M. Daniel Arnoldi, Bergerdorfiensis, introductus A. 1623. 27. Jun. Deinde Rector allectus A. 1641. ut supra dixi.

M. Bernhardus Strickius sive *Melethræus* ab A. 1641. 12. Augusti ad 1645. quo obiit. Ante id tempus in eadem Schola Subrector fuerat.

M. Zacharias Mœserus, Brandenburgo-Marchicus, electus A. 1645. Ob senium pro emerito declaratus 1680. 29. Oct. † 1682. mense Nov. ætatis 81.

Joachimus Henningius, Gustroviensis, Mœseri rude donati vices primum obiit, deinde successor defuncto datus 1683. 11. Jan. Ante id tempus Subrectoris munus gesserat ab A.

 1669.

1669. 21. Maji. † 1698. 30. April. De hoc infra

M. Paulus Georgius Krüsike, Slesvicensis Holsatus, introductus à B. Seniore Rev. Ministerii D. Samuele Schultze A. 1699. 4. Maji, cum hactenus Secundæ Classi ab Anno 1684. 3. Martii, & Tertiæ ab A. 1679. 24. Nov. cum laude præfuisset.

HENNINGI CUNRADINI, Hamb. P. L* Cæs. quem modo inter Conrectores recensui, Poëmata *L. Eberhardo Twestrengio*, Consuli æquissimo inscripta & post auctoris mortem ex laudati Tvvestrengii Bibliotheca, qui Poëtarum Mæcenas & ipse Poëta** non infelix erat, in lucem edita sunt à *Theodoro Glazero*, Dithmarso, Rostoch. 1607. 8. pagg. 349. In his occurrunt

Lib. I. Elegiar. p. 33. Ad *Gvernerum Rolevinckium* Rectorem, cum in Albi navigaret, acceptis ab

* Lauream accepit à D. Georgio von Holten, J. U. D. vide lib I Epigr. p. 146 patris & matris sororisque suæ Epitaphia lib. II. Epigr. p. 171. seq. Proavi Proaviæque p. 176. seq. matris p. 217.

** Glazerus in dedicat. *Hæc omnia, Vir Magnifice, exacta censura semper rimatus es, eoq; animum induxisti ut Poëtarum quotquot optimi laudantur lucubrationes vigili sollertia & industria cura pervolveres: unde hunc es consecutus fructum, quod boni Poetæ (qui esse non potest nisi ante vir bonus sit, ut ait Franc. Patritius lib. I. de regni & reg. institutione) nomen jam dudum sis promeritus, suffragante toto elegantioris litteraturæ choro*, Adde Cunradini lib. 2. Epigramm. p. 155.

ab eo litteris vocationis suæ Scholasticæ A. 1575.

p. 37. ad DEUM Opt. Max. pro se ipso ex tempestate divinitus liberato, die brumæ A. 1566.

p. 56. in *M. Georgii Trajectini* & Matthiæ Prætoriæ nuptias.

Epitaph. infantis filioli Joh. Trajectini p. 147. lib. 1. Epigr.

p. 58. in nuptias Sebastiani à Bergen, J. U. L. & Gertrudis Möllers.

Lib. II. p. 63. in nuptias Hermanni Rodenburgii & Annæ Reineken.

p. 92. ad Johannem Luchtemaker de conjugio filiæ, ex qua natus deinde Ulricus Winckelius Cos. de quo supra.

Molleri elogium p. 98. Henrici puto Molleri SS. Theol. D. ad quem elogia in obitum P. Lotichii p. 3.

ad M. Joachimum Tegenerum Elegia Henningi Cunradini de Halcyoniis Ecclesiæ lib. 2. p. 86. ad eundem de piorum afflictione lib. 1. Epigr. p. 150. in nuptias Joach. Hermens & Annæ Tegeneriæ p. 107. Epitaph. Werneri Tegeneri filioli p. 170. ad Brunonem Tegeneri fil. p. 215.

Insigne Johannis à *Duten*, Ecclesiastæ Hamb. lib. 1. Epigr. 142.

ad Joh. Trajectinum Ecclesiasten Hamb. pag. 150. 224.

ad Theodorum Simonem Ecclesiast. Hamb. p. 151. in ejus nuptias p. 185.

Epitaphium Meinhardi Crogeri, Pastoris S. Georgii p. 167. lib. 2. Epigr.

Insignia ejusdem p. 168.

Epitaphium Martini Crogeri p. 175.

M. Henrici Copii Pastoris Mariæ Magd. nuptiæ p. 191.

Lib. 1. Epigr. p. 127. In sepulchrum *Alberti Crantzii* à Mich. Rhedero instauratum, quod dedi supra.

p. 130. in Jo. Oldendorpium JCtum Hamb. p. 131. in Detlevum Langbecium. p. 132. in Henr. Cnaustinum.

p. 136. sq. in imaginem *Matthæi Delii*, sui quondam Præceptoris.

p. 137. in imaginem Joach. Molleri præfecti in arte Ritzb.

p. 138. de *M. Eberhardo Deccero* Musico.

p. 139. in nuptias Joach. Wichmanni & Cath. Ecclesiæ.

p. 141. de *M. Joh. Pistorio*, ConR.

p. 141. seq. Epitaphium *Werneri Rolevincii* civis, *fil.* adde p. 210.

p. 142. in Vitum Scarphium D. Med. & Aromatarium p. 143. M. Jo. Papæ Pharmacopoei Hamb. Epitaphium.

p. 148. D. Gvil. Mollero è legatione è Dania redeunti.

Lib. 2. p. 156. de obitu Petri à Sprekelsen, Cos.

p. 163. Epitaph. Conradi Lampadii civis & Her-

Hermanni Langebeck, ICti. In nuptias Petri Boji præpositi Meldorpensis in Australi Dithmarsia & Catharinæ, *Davidis Penshornii F.* Ad Henricum de Fossa, Canonicum Hamb. p. 180.

in tumulum Hermanni Niebur, Canonici p. 189.

in obitum Alberti Tvvestreng, Med. D. pag. 190.

Epitaphium Joh. Ecclevii Canonici ibid.

Effigies resurrectionis in templo S. Nic. sumtu L. Eberhardi Tvvestreng, Cos. p. 191.

Sylva Phalæciorum p. 193. ad Joach. Willerum, Hamb. JCtum, & Cameræ Imperial. assessorem.

ad *Matthæum Delium*, Rectorem Scholæ, pag. 198.

Libro Carminum pag. 244. in nuptias Philippi Meureri, Phil. & J. U. D. & Catharinæ Molleriæ.

p. 256. in nuptias Georgii Buschii & Annæ Pavvelsen.

Epithalamia Variorum in quibus p. 308. Joannis Niebur, Consulis.

in nuptias Eberhardi Tvvestrengii, J. U. L. & Secretar. cum Gertrude, Joh. Molleri filia. p. 307. seqq.

SERI-

SERIES
Spectatissimi A. 1528. à S.P.Q.H. instituti Collegii
DUODECIMVIRORUM,
sive ut ab A. 1685. 11. Maj. accedentibus tribus novæ quintæ Parochiæ Tribunis nominari par est,
QUINDECIMVIRORUM.

In Parochia S. Petri.

1528. Godeke Moller, Senator 1529.
1528. Hermann Soltovv, resign. 1531.
1528. Detlev Schultorp sive Schuldorf, Senator 1534.
1529. Nicolaus Rodenburg, † 1557.
1531. Henrich Rademacher, Senator 1532.
1532. Joh. Rentzel, resign. 1533. ob mutatū parochiæ domicilium. Senator 1534. † 1544.
1533. Christian Sander, † 1537.
1534. Nicolaus von der Hoye, Senator 1542, † 1554.
1537. Petrus Hesterberg, † 1544.
1543. Hermann Scheele, Senator 1547. † 1566.
1544. Iohann Kalenberg, † 1550.
1548. Tœnnies Elers, Senator 1558. † 1573.
1551. Reincke Reincking, † 1570.
1557. Ioachim Brand, resign. 1574.
1559. Lucas Becmann, † 1565.

1566. Henr. Kœp, † 1586.
1570. Jac. Prigge, † 1581.
1574. Barthold Busche, † 1590.
1581. Franciscus Jugert, † 1588.
1586. Daniel von Eitzen, Senator 1596. † 1603.
1589. Hieron. Reinfeld, resign. 1598.
1591. Lucas Becmann, † 1614.
1597. Paridom von Campe, Senator 1607. † 1617.
1599. Ericus Soltau, Senator 1607. † 1632.
1607. Joh. Thunmann, † 1609.
1607. Frid. Telemann, † 1618. 6. Octob.
1609. Joh. von Campen, † 1618.
1614. Petrus Röver, 1621. Senator, † 1634.
1619. Joachim Wichmann, mox Senator quatriduo post electus, † 1651.
1619. 28. April. Henr. Hering, † 1628. 4. Nov.
1621. Joachim Bahr, † 1622.
1622. Joh. Friderici, resign. 1648. † 1653.
1626. Georgius Schrœdering, † 1631. 27. Febr.
1629. 19. Jan. Nicolaus Schultze, resign. ob senium, 1642. 21. Iun. † 1647.
1631. 21. Mart. Andreas Tegge † 1650. æt. 48.
1642. 18. Aug. Hermann Langenbeck, Senator 1644. † 1668. æt. 72.
1644. 15. Mart. Ioachim Becmann, † 1663. 26. Febr.
1648. 13. Nov. Albertus Schultze. † 1652. 15. Dec.
1650. Joh. Moller, † 1655. 26. April.
1653. 7. Febr. Petrus von Sprekelsen, † 1656. 3. Maj.

1655. 9. Iul. Hieronymus Meurer, † 1660. 29. Nov.
1661. 11. Febr. Henricus Sylm, † 1662. 10. Dec.
1663. 9. Febr. Laurentius Wœrdenhof, † 1670. 4. Dec.
1663. 4. Maj. Justus von Lengerken, † 1670.
1665. 26. Jun. Joachim Anckelmann.
1670. 20. Jun. Christian Busch.
1671. 30. Ian. Johann Stahl, † 1677.
1677. Marcus Petersen, Senator 1684. 29. Aug. † 1693.
1677. 22. Dec. Daniel Witte, † 1693. 24. Maj.
1678. 22. Sept. Joach. Lemmermann, Senator eodem anno, & postea Consul.
1678. Joh. Koch, Senator 1681.
1684. 27. Jul. Paul Ambsing, † 1707. 19. Mart.
1684. 6. Octob. Wilcken Willers, † 1688. Aug.
1688. Sept. Nicolaus Wichers, † 1690. Maj.
1690. 30. Jun. Io. Pell, Senator 1692. 27. Dec.
1693. 6. Febr. Joh. Cordes, † 1696. 1. Ian.
— 3. Jul. Joh. Seelhof, resign. 1698. 20. Ian.
1694. 5. Nov. Albert Kœlbrand.
1698. 20. Jan. Joh. Witte.
1707. 26. Maj. Ioh. Prigge.

In Parochia S. Nicolai.

1528. Joachim Moller, Senator 1529. † 1558.
— Joachim von der Fechte, ob mutationem domicilii, resign. 1529. & in Parochia S. Jacobi, in quam migraverat, iterum electus 1548. † 1551.

1528. Christian Keding, † 1529.
1529. Nicolaus Hartiges, Senator 1532. † 1564.
— Conrad Goldner, † 1540.
1532. Thomas Köpping, resign. 1535.
— Frid. Osterloh, † 1537.
1535. Iacob Schiphaver, † 1540.
1537. Herbert von der Hude, † 1546.
1540. Conrad Kruse, † 1563.
— Werner Warneke, † 1555.
1546. Henrich Reeder, † 1572.
1555. Caspar von der Fechte, Senator 1558. † 1568.
1559. Ioh. von Sprekelsen, † 1560.
1561. Joh. Hartiges, † 1571.
1563. Paul Vaget, † 1569.
1569. Jacob von Peltzen, † 1592.
1571. Henr. Röhde † 1578.
1572. Autor Petersen, † 1593.
1578. Simon von Dulmen, † 1581.
1582. Georg. von Holten, † 1609.
1592. Albert Hackmann, † 1608.
1593. Petrus Mühle.
1596. Nicolaus Stemshorn, Senator 1601. † 1609.
1602. Johann Wetken, Senator 1605. † 1616.
1606. Johann Koep, † 1611.
1608. Vincentius von Sprekelsen, † 1609.
1609. Joh. Langenbeck, † 1618.
— Joh. Schafshausen (Schovveshusen,) Senator 1610. † 1638.
1610. Hieron. Knackerügge, † 1611. Hic est cujus

cujus ſumtu & auſpiciis condita eſt ſchola pro egenis in platea roſarum, una cum domiciliis, quæ pauperibus gratis habitanda conceduntur.

1611. Andreas Schrœder, † 1615.
1612. Henr. Stampeel, 1619.
1616. Ioh. Spitzenberg, † 1654.
1618. Dietrich Moller, Senator 1621. † 1624.
1619. Ditmar Kohl, † 1628.
1621. Elerus Eſich, Senator 1623. † 1638.
1623. Johann Rump, † 1642.
1628. 29. Febr. Joh. Garmers, † 1637. 14. Jun.
1634. 26. Sept. Ioh. Wichmann, reſign. ob valetudinem 1641. † 1660.
1637. Georg von Holte, Senator 1633. † 1668. 8. Aug.
1638. 5. Mart. Joh. Hanſens, † 1649. 3. Dec.
1641. 22. Mart. Andreas Schrœder, † 1644.
1642. 2. Octob. Heino Sylm, † 1650. 20. Nov.
1644. 18. Nov. Georg. Stampeel, † 1650. 22. Dec.
1649. 12. Febr. Magnus Hormann, † 1674.
1650. 14. Jan. Garlef Langenbeck, Senator 1660. † 1662. 1. Octob.
—— Nicolaus Sylm, Senator 1658. † 1659.
1658. 5. April. Baſilius von Boſtel, Senator 1666. † 1669.
1660. 19. Mart. Joh. Boſtelmann, † 1678.
1666. 8. Octob. Otto Sylm, † 1670. 22. Dec.
1671. 13. Febr. Joh. Möhlmann, † 1671. 10. Sept.

1671.

1671. Georg. Kellinghusen, † 1680.
1674. Conrad Vegesack, Senator A. 1676.
1666. Joh. Erlenkampf, † 1678. 10. Mart.
1677. 22. Febr. Dietericus Stahl, † 1680. 23. Jun.
1680. Nicolaus Dee, † 1687. 1. Sept.
1680. 22. Sept. Joh. Rump, † 1690. Jan.
1681. April. Wilhelm Stadtlander, † 1686. Nov.
1687. 10. Octobr. Matthias Helmeke, † 1690. 8. April.
1687. 27. Octob. Christoph Nothnagel, resign. 1695. 6. Mart.
1690. 17. Febr. Caspar Anckelmann, eodem anno 27. Maj. Senator.
— 19. Maj. Gvilielmus Vegesack, † 1697. 21. April.
— 14. Iul. Ioh. Kentzler, † 1791. 1. Iunii.
1691. 6. Iul. Ludevvig Becceler, Senator 1694. 6. Febr.
1694. 12. Mart. Hartvvig Stahl,
1695. 11. Iul. Paul Goldner, † 1699. 4. Febr.
1697. 29. April. Gerhard Lente.
1699. 17. Febr. Johann Heidmann, † 1700. 6. Jun.
1700. 30. Sept. Christoph Meier, † 1706. 5. April.
1706. 9. Dec. Jacob Brommer.

In Parochia S Catharinæ.

1528. Meino von Eitzen, Senator 1529. † 1559.

1528. Henrich Davœrde, resign. 1533.
— Joachim Wullenvveber, Senator 1532.
1529. Tole Anckelmann, † 1540.
1532. Peter Hesterberg, resign. 1536. ob mutationem domicilii, hinc in Parochia S. Petri, in quam se contulerat iterum 1537. electus, † 1544.
— Hans Hesterberg, † 1544.
1535. Hermann Wetken, † 1546.
1536. Joachim Rentzel, † 1547.
1540. Ludeke Rulle, † 1554.
1547. Henrich Schütte, † 1556.
1548. Dietrich Bestenbostel, † 1568.
1554. Nicolaus Krœger, † 1568.
1555. Christoph Schnepel, resign. 1558.
1558. Christoph Kellinghusen, Senator 1567. † 1596. 31. Dec.
1563. Henrich Wittekopf, † 1565.
1566. Meino von Eitzen, † 1589.
1568. Reimert Türsen, † 1594.
1569. Henrich Tamme, † 1581.
1582. Johannes von Bergen, † 1596.
1589. Evertus Esich, Senator & præfectus Bergedorf. 1691. † 1616.
1591. Joachim Langermann, † 1611.
1595. Albertus von der Fechte, † 1614.
1596. Albertus Willers, † 1603.
1604. Jacobus Eggers, † 1618.
1612. Dietericus Suermann, Senator 1614. † 1618.
1614. Henr. Beckendorff, † 1616.

1615.

1615. Meino von Eitzen, † 1632.
1617. Joachim Muhl, † 1645. 18. Nov.
1618. Petrus von Sprekelsen, Senator 1626. † 1630.
1626. Joachim Tvvestreng, Senator 1633. † 1647.
1632. 8. Jun. Petrus Juncker, † 1642.
1633. Hermann Rentzel, Senator 1639. † 1657.
1639. 11. Martii, Fridrich Hartken, † 1639. 8. Jun.
— 8. Iul. Detlef Held, † 1655. 5. Mart.
1642. 21. Nov. Ioh. Lutkens, † 1652. 28. Iun.
1645. 22. Dec. Georg. Müller, Senator 1650. † 1662.
1650. 8. April. Dietrich Schrœdering, resign. 1667. † 1670.
1652. 9. Aug. Nic. von der Fechte, Senator 1653. † 1660.
1653. 18. April. Henrich Busch, resign. 1667. † 1669.
1655. 7. Maj. Paul Langermann, † 1661. 17. Octobr.
1661. 13. Jun. Petrus Kentzler, † 1662. 4. Jun.
1662. 4. Aug. Hermann Rentzel, † 1670.
1667. 6. Maj. Dietericus Hoppe, † 1670. 9. Februar.
— 20 Maji, Henrich Kentzler, † 1668. 16. Iul.
1668. 17. Aug. Albertus Wolf, Senator 1668. 25. Nov.
1669. 11. Ian. Georg Schrœdering, † 1670.
1670. 28. Febr. Cornelius Langermann, † 1678.

1670. 11. April. Dietericus Schelhammer, Senator 1673.
1673. Henrich Matfeld, † 1679. 18. Dec.
1677. 22. Sept. Simon Fock.
— — Zacharias Süssland.
— — Nicolas Ludvvig Ruland, † 1701. 23. Ian.
1680. Joachim Steinmann, † 1690. 26. Maj.
1682. 1. Maj. Joachim von Sprekelsen, Senator 1692. 3. Sept.
1690. 28. Iul. Iohann Lambrecht, † 1696. 26. April.
1693. 13. Ian. Ioh. Hering, † 1701. 14. April.
1696. 17. Sept. Andreas Dahte, † 1703. 1. Mart.
1702. 16. Nov. Nicolaus Wunderlich.
— — Johann Hökenkamp.
1704. 24. April. Georg Copp, † 1710. 15. Mart.

In Parochia S. Jacobi.

1528. Ioh. Hartmann, resign. 1529.
— Dietrich Bottcher, † 1529.
— Ioh. von Bergen, † 1549.
1529. Michael Panning, † 1542.
— Henr. Schovvenburg, † 1533.
1533. Nic. Hollmann, † 1547.
1548. Ioh. Eggersen, † 1562.
— Ioachim von der Fechte, † 1551.
1549. Paul Gerkens, † 1564.
1551. Ioachim Amlinghusen, † 1552.
1552. Nic. Korbemacher, † 1566.
1562. Laurent. Witteneve, Senator 1577. † 1587.

1564.

1564. Georg Witte, † 1565.
1566. Conrad Bestenbostol, resign. 1579.
1567. David Grote, † 1582.
1577. Willhad Hartien, Senator 1578. † 1581.
1579. Joh. Eggers, resign. 1601.
— Joh. Moller, † 1606.
1583. Nicolaus Scharenbeck, † 1596.
1597. Ioh. Scharenbeck, † 1600.
1600. Henning Held, † 1604.
1602. Albert Witkopf, † 1614.
1605. Otto Sylm, † 1613.
1606. Io. Münden, Senator 1618. † 1638.
1614. Joach. Busch, † 1626. 9. Febr.
1615. Wilhelm von Düten, Senator 1618. † 1620.
1618. Ioach. Hartiges, Senator 1628. † 1649.
— Albert Beckendorf, Senator 1625. † 1628.
1625. Caspar von der Fechte, † 1638.
1626. Henrich Schvveland, † 1627.
1627. 25. Oct. Joach. Elvers, † 1628. 4. Sept.
1628. Matthias Sylm, † 1641. 4. April.
— 29. Octob. Ioh. Wetken, Senator 1641. † 1643.
1638. 23. April. Herm. von Eitzen, † 1647.
1641. 22. Mart. Jo. Landerhusen, † 1653. 11. Maj.
— 24. Maj. Iac. Stenvvich, † 1643.
1643. 10. Iul. Detlef Held, † 1657. 8. Maj.
1647. 22. Mart. Henrich Wichmann, † 1652. 21. Iul.
1652. 22. Aug. Georg. von Holte, resign. 1667. Pincerna Amplifs. Senatus 1677. † 1687.

1653. 4. Iul. Georg Schrœdering, † 1667. 24. Mart.
1657. 8. Iul. Dietericus Vaſmer, Senator 1666. † 1673.
1666. 12. Nov. Georg. Becceler, Senator 1667.
1667. 29. April. Henr. Grote, Senator 1680.
—— 8. Iul. Iuſtus Brand, † 1679.
—— 4. Nov. Nicolaus Krull, Senator 1676.
1675. Iohann Pape,
1676. Iohann Pickel, † 1679. 4. Febr.
1677. 22. Sept. Detlef Braſche, † 1700. 29. Ian.
—— —— Antonius Wagner, † 1680. 29. Iul.
1680. —— Nicolaus de Beſeler, † 1682. 4. Iul.
—— 27. Iul. Henricus Iacobſen, † 1695. 4. April.
1682. 14. Aug. Ioh. Chriſtoph Weisbach, † 1701. 29. Octobr.
1695. 11. Iul. Rudolph Kunſt, † 1696. 29. Oct.
1697. 29. Ian. Petrus Carſtens,
1700. 18. Mart. Berend Cropp,
1702. 16. Nov. Fridericus Wahn.

In Parochia S. Michaelis.

1685. 11. Maj. Iohann Iacobſen, † 1693. 20. Februar.
1685. 11. Maj. Hieron. Luſtig, † 1686. 8. Octob.
—— —— Ioh. Chriſtoph Mack.
1687. 3. Octob. Chriſtian Köhten, reſign. 1695. 6. Mart.
1693. Aug. Albertus Oldenburg.
1695. 11. Iul. Henricus Schlicht.

INDEX



INDEX
PROSOPOGRAPHICUS.

Gu-

Wil-

Henr.

Pe-

Ioh.

Ioh.

Georg

Dege-

Pau-

Nic.

Mar-

Hen-

Chri-

Alber-

Ge-

Wer-

M. Hie-

Chri-

M. Mich.

Paul

S. Rem-

D. Sa-

Ioh.

Lu-

Bern-

M. Jo-

M. Jo-

Thie-

FINIS.



